Huebner

QVAESTIONES ONOMATOLOGICAE LATINAE

DISSERTATIO

SCRIPSIT

ET

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
RITE OBTINENDORVM CAVSSA

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE IV MENSIS AVGVSTI CIƆIƆCCCLIV

IN PVBLICO DEFENDET

AEMILIVS HVEBNER
DRESDENSIS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

IOANNES VAHLEN, PHILOS. DR.
CAROLVS SCHNELLE, PHILOS. DR. RENVNT.
ARNOLDVS HVG, SEM. PHILOL. SOD. ORD.

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGII

I.

De nominibus Romanorum nec multi scripserunt neque qui scripserunt, si rerum spectaveris ubertatem severitatemque viae ac rationis, ita absolverunt omnia, ut operae pretium fecisse non posset existimari, si quis denuo de iis quaerere institueret. Etenim cum duae sint universi huius loci, qui est de nominibus, pertractandi rationes, quarum altera usum potissimum nominum propriorum explicare studet atque, quae usui respondeat, varietatem, altera grammaticas nominum formandorum leges sibi sumit investigandas: hoc quidem nemodum, quantum scio, dedita opera persecutus est, illud duo praecipue praestare susceperunt viri non quotidianae doctrinae subtilisque ingenii laude insignes Carolus Sigonius et Onuphrius Panvinius. In grammaticam autem quaestionem illam perpauca vel potius nihil de suo ipsi conferre voluerunt, ab antiquis scriptoribus quae de his rebus animadverterent subinde adnotata potius quam accurate exposita, sequi contenti. Leguntur enim in Varronis Festi Servii Nonii libris glossae, ut cum Graecis loquar, satis multae, quae nominum propriorum continent explicationes. Ut taceam quae huius generis reperiuntur apud ceteros scriptores, velut apud Quintilianum Gellium Plutarchum alios, hic illic occasione data orationi inspersa. Extat praeterea qui in calce librorum Valerii Maximi excudi solet 'de praenominibus' libellus sat memorabilis, cuius verba ut nunc iam emendatius legantur, post Angeli Maii recognitionem ad cod. Vaticanum factam (vid. Script. vet. nov. coll. III. p. 90 sqq.) atque post Bergkii emendationes quasdam veluti in transcursu propositas (in nov. mus.

Rhen. IV p. 120), Caroli Kempfii nuperi editoris beneficio debetur. Enimvero insunt huic paucarum pagellarum scriptiunculae praeter alia quaedam minoris momenti viginti quattuor praenominum veriloquia, quae qualis esse solet vel apud optimos quosque grammaticorum veterum disciplinae etymologicae factitatio, quamquam plerumque non vera loquuntur, viam tamen interdum subindicant ad verum indagandum non improbabilem. Haec si comparantur cum relicuis omnibus, quae de hoc argumento ab aliis observata esse dixi, ex uno eodemque fonte fluxisse longe plurima neminem fugere potest. Atque eum fontem ut Varronem fuisse animum inducamus cum suadeat eiusmodi glossarum, quae diserte ei attribuuntur, multitudo, tum nota in hoc viro grammaticae doctrinae amplitudo propemodum postulare videtur, ne omnino hunc locum non inlustrasse credatur. Quod utrum singulari quodam libello fecerit, cuius memoriae non pepercit temporis iniquitas, an in eorum, quos scripsisse eum testantur fragmenta, uno vel altero etiam de hac re commentus sit, quis est, qui argumentis probare velit? Cogitari potest de antiquitatibus eius aut de eis libris, quos de vita populi Romani fuisse traditum est: sed aptissima fortasse talium rerum tractandarum opportunitas se offerebat in libro, cui nomen erat 'de familiis Troianis'; quo de argumento etiam Atticum et Hyginum scripsisse scimus, ut Ritschelius monuit nov. mus. Rhen. VI. p. 507. Quis vero scripserit epitomam 'de praenominibus' illam, quam dixi, qualem quidem nunc manibus tenemus, ut per se nostra nihil fere refert, ita tot tantisque implicata est difficultatibus universa haec quaestio, ut vel post Kempfii duplices curas, quas videre licet in editionis Valerii Maximi praefatione p. 53 sqq. et in programmate gymnasii Berolinensis, quod Leucophaeum dicunt, vere huius anni edito, nondum omnis sublata esse videatur dubitatio. Hic fere sunt exigui quidem, sed non spernendi doctrinae onomatologicae fontes antiqui. At nihil fere discitur a posteriorum temporum grammaticis. E quorum numero Priscianus (p. 577 sqq. P.) verbis, ut solet,

neque tamen rebus uberior est quam relicui, qui sunt Charisius (p. 125 sqq. P.) Consentius (p. 2019.) Diomedes (p. 306.) Donatus (ed. sec. p. 1744.) Anonymus in Endlicheri Anal. p. 212, fragmentum denique apud eund. p. 77. Cledonii enim (p. 1862.) Serviique (p. 1778.) verba et quae Alcuinus (p. 2088.) e relicuis exscripsit ne mentione quidem digna sunt. Praecipiunt autem eadem fere omnes: enimvero discrimen illud explicant, quod intercedat inter diversa nominum propriorum genera, praenominum interpretantur siglas, cognominum atque, si dis placet, agnominum usum significant potius quam explicant; admixta interdum, quam apud Graecos fuisse sibi fingebant, ineptissima quadam analogia: veluti Aruntio cuidam Claudio Diomedes credidit, ad Romanorum trium vel quattuor nominum exemplum Graecos etiam 'Pyrrhum Alexandrum Dardanium' nuncupasse vel adeo, de quo risum vix tenebis, 'Ulysseum Acrisiadem Odysseum Polytlam'! Nil igitur dixi ex his omnibus disci; immo vero prava docent, cum quattuor dicant species fuisse nominum propriorum. Etenim quod iam Perizonii acumen non fugerat, quartam illam agnominum speciem omnino nullam esse, hoc nuper Kempfius ita demonstravit, nemo ut contra sentire possit.

Inde a renatis vero in Italia litteris diversarum philologiae disciplinarum ferebat ratio rerumque ab unaquaque pertractatarum indoles, ut etiam haec quaestio non prorsus saltem neglegeretur. Atque ex eorum, qui in historia potissimum institutisque populi Romani explicandis versati sunt, studiis, ut breviter dicam, onomatologicis, supra iam significavi Sigonii et Panvinii libros, quos thesauri sui antiquit. Rom. alteri volumini inseruit Graevius. Francisci autem Robortelli, qui primus omnium de hac re commentatus esse videtur, librum 'de Romanorum nominibus' inscriptum nondum inspicere potui. Quod ideo potissimum aegre ferendum est, quia non audeo confidentius loqui de ea ratione, quae intercedere mihi videatur inter Sigonii Panviniique libros, priusquam illum cognoverim. Namque si hos vel in transcursu quis perlegerit,

non poterit non offendere in mirabili quadam et rerum et sententiarum in utroque similitudine vel potius aequalitate. Quae tamen aequalitas ita comparata est, ut simplicioribus Sigonii ratiocinationibus tenuiorique sermoni locupletior respondeat apud Panvinium doctrina impeditusque multis ambagibus orationis tenor. Itaque cum Panvinius anno demum post Sigonii opus absolutum (quod una cum fastis eius prodiit a. cIↃIↃLVII) in fine sui in fastos commentarii publici iuris fecisset de nominibus libellum, (quod apparet ex praefatione ap. Graev. p. 1989.) neque alioquin omnino omni careat suspitione hominis doctrinae laude dignissimi fides, facile putaverim iusto arctius eum Sigonii quamvis amici pressisse vestigia; nisi forte communis utriusque auctor est Robortellus. Quem hic quidem, sicut etiam Sigonium, nominatim nusquam commemorat, ille pro acerrima quam inter eos viguisse notum est contentione, procul dubio respicit, cum operis sui initio de iis queritur, 'qui proxime de hac re scripserunt nec ad rei veritatem satis apte tantum argumentum tractarunt.' Silent autem quoscumque consului hac de re Tiraboschius (Storia della Letter. Ital. VII p. 815 sqq. edit. Flor.). Ecksteinius (in vita Panvinii quae inserta est encyclop. Halensi) alii. Sed comparentur interea, ne inanes movisse videar suspitiones, quae Sigonius scripsit p. 1965 D—F Gr. cum Panvinianis p. 1996 C—F, quibus habeo quae addam similiter ad verbum congruentia. Attamen quae vel utriusque coniuncta vel unius Robortelli opera pro certis evaserunt, ea breviter, sed, ut solet, accurate Beckerus composuit (enchirid. ant. Rom. II p. 51 sqq.), omisit, quod par erat, quae illi de gentium origine aut a Troianis repetenda aut a Sabinis aliisve Italiae populis, de patribus maiorum minorumque gentium, de familiis denique plebeiis et quae sunt similia congesserunt. Meritus deinde est de nominibus Ioannes Glandorpius onomastico suo historiae Romanae, quod Frankofurti prodiit a. cIↃIↃLXXXIX. Cannegieteri vero librum 'de mutata Romanorum nominum sub principibus ratione', quem Traiect.

ad Rhen. a. cIↃIↃCCLVIII publici iuris fecit, ob insignem eius raritatem nondum nactus sum. Ellendtii quoque 'de cognomine et agnomine Romano' libellus hoc loco memorandus est. Collecta ab eo sunt ex scriptoribus latinis cognomina et agnomina maximam partem (omissa quaedam censor eius libri addidit in Muetzellii annalibus VIII pp. 132—183): consulto neglecta, quorum aliunde quam ex scriptoribus petenda est notitia. Et hisce etiam adnumerandi sunt, qui aut 'stemmata nobilissimarum gentium Romanarum' composuerunt, ut Rupertius (in tabulis genealogicis Gotting. cIↃIↃCCCXI), aut res a viris inlustrioribus gestas ita narrare non absonum iudicarunt, ut singulos singularum gentium homines persequerentur.

Consectarium autem est e rei ipsius natura, numismaticos quoque, ubi de familiarum nummis agerent, de nominum ratione nonnulla adnotasse. Qua in disciplina quaecumque ad nomina interpretanda conlata sint, non meum est neque enumerare nec diiudicare. Praeter Ezechielem Spanhemium, qui de hac re scripsit de praest. num. diss. VI. p. 496 sqq., unum Eckhelium nominare sufficit, cuius verba videsis in altero proleg. ad num. famil. capite Doct. Num. V p. 55 sqq.

Plurimum autem epigraphicae Romanae debere nominum rationem consentaneum est. Cum enim ex ingenti inscriptionum Latinarum numero perpaucae sint, in quibus nullum omnino nomen proprium extet, fere coacti erant eorum explicationem attingere, qui tam acre studium inscriptionibus colligendis inlustrandisque impendebant: ita ut quidquid a quibusvis in hac re observatum sit, perscribi prorsus nequeat. Ob singularem vero licentiam, qua quodvis fere nomen cuivis alii iudicabat parile longinqua ductus soni similitudine, notandus est Thomas Reinesius, corrigendi idem cupidissimus, ubicunque nova se offerebant. Quamquam hic falsis etiam vera miscuit: ut interdum vel laude dignus esset, dummodo ne, quae origine non diversa sunt, eadem usu quoque parilia fuisse sibi finxisset. Quare suo iure eum reprehendit Raphael

Fabrettus. Qui quod collectionis suae inscriptionum integrum caput eo consilio conscripsit, ut Gruteri nominum indicem novis augeret, utilem sane his litteris operam praestitit. Sed insunt, ut conieceris, novis istis nominibus multa vel falsa omnino vel suspecta. Ut uno exemplo defungar: Sinpettiae gentis monstruosum nomen Mabillonium secutus profert p. 275, 164. ex titulo, in quo SIBI · ET · PETTIAE verba tantum legi nunc Mommsenio teste (I. N. 3994) scimus. Commemorandi deinde sunt, qui cum universam inscriptionum explicandarum disciplinam describerent, etiam de nominum ratione verba fecerunt Zaccaria Italus (istit. antiq.-lapid. p. 59 seqq.) et e nostratibus Zellius (in Paulyi encyclop. s. v. nomen atque in enchiridio suo epigr. Roman. p. 82 sqq.). Quibus accedit Orellianae collectionis caput VIII 'nominum ratio apud Romanos' inscriptum. Atque illi quidem in universum. Sed de singulis quibusdam onomatologiae locis cum iis aut a veteribus iam tradita esset aut exorta demum inter recentiores, extant singulares quidam libelli. Veluti 'adversus feminarum praenominum adsertores deque antiquis puerorum nominibus' disputavit Ioannes Castalio, cuius commentatiunculas vide in Graevii thesaur. II pp. 2050—2070. Huic adversati sunt Reinesius et Petrus Servius medicus Romanus, quod ex Graevii praefatione disco; adversatus deinde est ipse Graevius eiusdem praefat. cap. V. Singularum autem gentium absolutiorem historiam e lapidibus concinnare studuerunt Fonteius (de prisca Caesiorum gente comm. Bononiae cIↃIↃLXXXII), Braschius (de familia Caesennia. Romae cIↃIↃCCXXI), Ortius Veronensis (gli antichi marmi alla gente Sertoria Veronese spettanti illustrati. Verona cIↃIↃCCCXXXIII). Quibus addi possunt aliqua ratione quae de Propertiis M. Hauptius disputavit in actis Soc. litt. Saxon. I p. 270. Grandii librum: 'origine de' cognomi gentilizj nel regno di Napoli (Napoli cIↃIↃCCLVI)' non inspexi (vid. I. N. p. 39). Sed ab aliis etiam de nominibus bonae frugis quaedam observata esse breviter tantum significabo. Sunt eiusmodi quae de cognominibus in *io* Marinius scripsit

Act. fr. arv. p. 331 aliaque, quae index eius operis suppeditat sub vv. 'cognomi' et 'nomi'. Inter relicuos etiam in hac re Borghesium primum locum obtinere consentaneum est: quae vel ab eo disputato sunt huius generis vel ab aliis ex eius potissimum disciplina profectis, operam dedi, quantum in me erat, ne praetermitterem.

Apparet nisi fallor vel ex hac brevissima enarratione, quod supra proposui: ad grammaticam nominum propriorum explicandorum rationem non multa ex eorum commentis disci, qui de industria de nominibus quaesiverunt. Neque hoc illis profecto crimini dandum est, quibus grammaticos agere neque in animo erat unquam neque licebat, si modo aetatem, qua vixerunt, recte perpenderis. Qua aetate cum omnino linguarum studium e disciplinae statu a maioribus tradito nondum evectum esset ad nostri temporis subtiliorem doctrinam, quis talia vel a doctissimo quoque exegerit? Etenim non ita multum temporis praeterlapsum est, ex quo e nominum ratione melius perspecta universam linguarum scientiam non mediocriter emendari omnes intellexerunt. Atque in Graeca quidem lingua postquam quanti faciendum sit hoc studium G. Hermannus animadvertit (in censura nov. Thesaur. Steph. edit. Opusc. II p. 223), ut in unius summa auctoritate aequiescam, iam extiterunt qui hanc provinciam susciperent. In nostra lingua etiam huius disciplinae auctor est Iacobus Grimmius, qui cum alibi saepius tam nuperrime in lexici sui Germanici praef. p. XXX quid de hac re sentiret dixit. Quo auctore qui incoharent saltem hanc quaestionem non defuerunt. In Latina denique lingua vel maiora hinc expectanda esse quam in graeca, Theodori Bergkii sententia est, quam loco s. s. protulit. Sed quod supra dixi de eis, qui lapidibus colligendis explicandisque operam dederunt, hoc aliqua ex parte cadit etiam in criticos. Hi enim cum scriptores latinos adnotarent, vel ideo non potuerunt nil observare de nominibus, quia in eis scribendis saepissime atque foedissime a librariis peccatum est. Cuius rei luculentissima exempla Livii historiae praebent

et Ciceronis epistolae, ut Sigonii Manutiique commentarii demonstrant. Sed etiam in ea, quam proprie dicere consuevimus, grammatica inde a veteribus quasi tralaticium est antiquioris loquendi rationis exempla e nominibus propriis petere. Veluti *c* et *g* gutturales usu perinde fuisse apud antiquos *Gaius* et *Gnaeus* praenomina testari solent, sibilantem autem litteram saepissime in *r* semivocalem transiisse *Auselius Fusius Papisius Valesius* nomina docuerunt. Similia quaedam inspiciantur apud C. L. Schneiderum. Verum tamen nuper etiam cum universae huic disciplinae grammaticae ex priscae latinitatis monumentis novum et insperatum incrementum accessit, quid e nominibus disci possit, non paucis apparuit exemplis. Neque enim hoc mirum est in tanta formarum et antiquitate et per multa saecula constantia. Atque sciebant hoc, qui vel mythologiae Romanae accuratiorem condiderunt scientiam vel historiae. E quibus unum hic memoro ob nominis splendorem Niebuhrium: quem non pauca hac in re melius perspexisse quam ante eum omnes non una eius libri pagella docet. Ceterum praetermisi fortasse quaedam, quae huc faciunt maioris et ambitus et doctrinae vel in commentariis latentia vel disiecta per diaria litteraria. Namque duo tantum praeterea mihi innotuerunt, qui sola grammatica ratione ducti de certis quibusdam nominum generibus ita disseruerunt, ut quod miro sane casu evenit, duplicem, de qua videbimus, huius quaestionis tractandae viam quasi praeirent. Alter eorum Vargesius est, qui cum in Lucilianarum quaestionum specimine, quod Welckeri Naekiique mus. Rhen. III p. 15 sqq. inseruit, de *Lucilii* nomine aut simplici aut geminata *l* littera scribendo quaereret, de nominibus in *ilius* accurata quidem exposuit doctrina, neque tamen ita exposuit, ut nihil secundis curis disceptandum relinqueret. Summam certe quaestionis suae mihi non persuasit: nimirum producendae *i* vocalis causa geminatam esse *l* litteram. Alter vero, F. Beckerus Hadamarensis, unius cuiusdam stirpis quotquot in nominibus propriis exempla indagare potuit, composuit in Philologi vol. VII p. 756 sqq.;

cupidius quidem, ut videtur, barbara miscens latinis, sed vel propter viae, quam iniit, novitatem notabilis. Liebetreuii denique 'specimen onomastici Romani' quod in programmate gymn. Leucophaei Berolin. a. cIↃIↃcccxLIII proposuit, nondum vidi.

Denique quoniam de huius quoque scriptionis consilio breviter mihi dicendum esse video, gravissimo auctore me hanc quaestionem suscepisse fateor Friderico Ritschelio. Cuius solita erga discipulos liberalitate factum est, ut, quod paucis contingit, eo non carerem librorum apparatu, sine quo universa haec nominum scientia imperfecta est atque manca. Neque sua tantum benivolentissime mecum communicavit praeceptor egregius, sed etiam ab Ottone Iahnio et Theodoro Mommsenio subsidia nonnulla epigraphica accepi. Qua uberrima materie num recte usus sim, penes alios iudicium est; qua vero ratione usus sim, brevissime explicabo.

Cum enim duplicem extare viam intellegerem, qua quis ingressus ingentem huius quaestionis molem superaret, alteram nunc quidem reliqui; alterius particulas quasdam, quas amplissimo philosophorum ordini proponerem, tractandas selegi. Discriminare enim postquam didicimus in omnibus linguae partibus inter stirpes atque derivationis syllabas, cuiusvis vocabuli contemplatio ordiri potest aut a stirpe aut a derivationis forma indaganda. Neque tamen, ut fit, quae studio disiunguntur, haec re et usu severius discernere licet. Quaeritur illud tantum, ab utro aptius exordium faciendum sit. Si quis igitur mecum reputaverit, quam multiplex usus sit unius stirpis per innumera fere derivationis genera, et quam saepe ipsa stirps cognosci nequeat, nisi explorata derivatione: recte, credo, fecisse iudicabor, quod relicta illa stirpium explicatione, lubrica eadem atque parum expedita, derivationis genera inprimis investiganda mihi proposui. Accedit quod in altera illa via pariliter spectanda fuissent non solum cum gentiliciis praenomina et cognomina, sed etiam deorum populorum locorum nomina tantum non omnia, quandoquidem eis plerumque an-

tiquissimas quasque stirpes subesse inter omnes constat. Derivationis contra haec indagatio aptissime intra arctiores gentiliciorum nominum fines se continebit, ita tamen, ut quae ex relicuis nominum generibus e re esse videantur, non vitanda sint. Singulari vero relinquenda est quaestioni cum, ut apparet, Graecorum nominum Latine redditorum ratio, quam ad antiquissimam linguae conditionem cognoscendam plurimum valere in confesso est, tum Latinorum a Graecis permutatorum. Atque de hac re bene mereri posse suspicor etiam post Strehlkii animadversiones, quas inspicias in Aufrechtii Kuhniique diariis, quae linguarum inter se comparatarum studio patent (Vol. I pp. 211—224).

Sed priusquam finem facio huic capiti, ne propter minutarum quaestionum, quas tractaturus sum, molestiam fere oblitus esse videar totius loci, qui est de nominibus, et amplitudinis et ex amplitudine profectae gravitatis, primis lineis adumbrare placuit, quotquot repperi formationum varietates. Unde facillime intellegi poterit, qualem viam tenendam mihi proposuerim in universa hac nominum multitudine distribuenda enarrandaque. Ordiendum igitur erit a simpliciore eorum nominum formatione, in quibus *ius* solitam gentiliciorum terminationem cum stirpibus in consonantem litteram exeuntibus coniunctam videmus. Quae consonans littera utrum simplex sit an geminata, hoc ad rem ipsam nihil facere non mirabitur, qui consonantium geminationem non increbuisse apud Romanos nisi inde a fine sexti a. u. c. saeculi meminerit. Exempla autem in promptu sunt stirpium in omnes consonantes exeuntium: scilicet *q* excepta, quae a *c* et *k* origine non diversa est. Vetuti, ut ex permultis singularum consonantium exemplis singula tantum e notioribus proferam, *Fabius Decius Modius Fufius Magius Tullius Mummius Fannius Appius Furius Messius Vettius Gavius.* De his igitur et similibus ut et plene agatur et certa ratione, triplex instituenda est quaestio. Primum finales stirpium litterae examinandae sunt, et inter se comparandae non solum eiusdem generis consonantes, guttu-

rales dentales labiales, sed etiam quas praeterea in Romanorum lingua deinceps sese excepisse compertum est, veluti *c* et *t*, praesertim cum *i* littera insequitur, *s* et *r*, *p* et *c*, alia. Agendum est deinde de eis litteris, quae principio sunt nominibus, ut cum Plauto loquar (Trin. 915). Ubi praeter easdem, ut in finalibus, similitudines spectanda erit aspiratio, quem locum vel habuerit vel non habuerit. Tertio loco de vocalium, quae stirpibus insunt, permutationibus disputandum est, et ita quidem disputandum, ut neque neglegatur declinatio illa totius linguae a gravioribus sonis ad tenuiores facta, et diphthongorum potissimum origines cumque vocalibus simplicibus cognationes enucleentur. Quasi appendicis loco in fine huius quaestionis rariora quaedam nomina tractanda sunt, quorum stirpes non consonantibus litteris terminari videntur, sed vocalibus ut v. c. *Staius Seius* et similia. Sed videntur tantum: habeo enim cur ne iis quidem origine consonantes in fine defuisse mihi persuadeam. Verum supra dixi, hanc quaestionem nec plenam esse neque certam, priusquam derivationum varietas explorata sit. Haec igitur ut comprehendi queat, similia coniunctim tractanda sunt. Itaque quod sex potissimum derivationis genera distinxisse mihi videor, hoc non ita intellegi velim, quasi, quaecumque hic coniungo, ea omni ex parte parilia esse contenderim. Quod secus esse quivis sua sponte pervidet. Sed consulendum erat in tanta rerum multitudine brevitati commoditatique. Sex autem illa, quae volui, derivationis genera iterum tot fere praebent varietates, quot vocales lingua possidet: ut ex brevissimo hoc, quem infra posui, conspectu apparebit.

I. Nomina in *-acus -acius -atius -ucius -utius -ecius -etius -icius -itius* veluti sunt *Taracius Horatius Genucius Betutius Senecius Lucretius Anicius Domitius.*

II. Nomina in *-adius -udius -edius -idius: Aiadius Abudius Alledius Ovidius.*

III. Nomina in *-olius -ulius -elius -ilius: Flavoleius Apuleius Cornelius Lucilius.*

IV. Nomina in *-anus -anius -onius -unius -enus -enius -ennius -inus -inius: Norbanus Geganius Sempronius Sepunius Alfenus Ducenius Pescennius Betuinus Cominius.*

V. Nomina in *-asius -arius- -orius -usius -urius -esius -erius -isius -irius: Vitrasius Pinarius Plaetorius Volusius Veturius Mimesius Laberius Numisius Papirius.*

VI. Nomina in *-avus -avius -uvius -evius -ivius: Accavus Calavius Vitruvius Salevius Ambivius.*

Scio quidem extare praeterea formationes quasdam, e quibus septimum vel adeo octavum genus effici posse erit fortasse qui contenderit. Haec autem, quae subtilioris indagationis sunt, nunc quidem tacere praestat, quam summatim perstringere. Praeter graviora vero illa discrimina, quae enumeravi, nova et paene inexhausta varietas inde existit, quod singulae derivationis syllabae fere omnes aut cum eiusdem generis similibus aut cum relicuis componebantur. Ita ut singula compositionis (ut liceat etiam hoc compositionem dicere) elementa statim agnoscere interdum subdifficile sit. Etenim quam late patuerunt ut in lingua universa, ita in nominibus formandis syncopa et ecthlipsis, vix est credibile. Quamquam non ignoratur, quot difficultates hae duae res facesserint grammaticis semperque facessant.

Haec fere sunt, quae necessario praemonenda duxi. Non enim decet in his litteris, quae alii aut praestiterint aut non praestiterint nescire vel neglegere. Ea autem, quae singillatim disputaturus sum, quo pertineant, vix perspectum iri credo, nisi totius loci finibus ante circumscriptis.

II.

Initium quaestionis ab eo facere par est, quo gentilicia nomina a relicuis differre tralaticio praecepto discimus: *ius* terminatione. Cuius praecepti veritas quamquam in universum indubitata est, exceptiones tamen etiam hic non desunt.

Et hoc quidem mature intellectum est. Sed quot et quales sint hae exceptiones neminem adhuc explorasse profecto mirere. Tria enim tantum nomina a more consueto desciscere crediderunt Sigonius et Panvinius (quos sequi solent relicui): *Norbanus Peducaeus Poppaeus.* Quorum de utroque in aeus exeunte postea videbimus: *Norbanus* autem unum tantum est e multis exemplis, quorum vel scriptores non exiguum numerum praebent. Sed nemo ea collegerat: itaque mirandum non est, quod etiam Eckhelius, quaecumque nomina non in *ius* exeant, ea cognomina putanda esse severissime praecepit: veluti, quae in nummis reperiuntur *Norbanus Caecina Betilienus Allienus Satrienus.* Atque hoc suo quodam iure is praecepit, cui tria tantum nominum in *enus* praesto erant exempla. Numeravi autem apud scriptores eiusmodi circiter viginti (qui numerus Ellendtium movit, ut 'agnominibus' suis in *enus* 'inesse posse nomina gentilia' non infitias iret.); at ex inscriptionibus plus centum cognoscimus, ut modeste loquar; nam plura sunt. Accedunt iis numero pauciora, sed de quibus dubitari nequit, nomina in *anus* et *inus* desinentia. De his autem omnibus explicatius agendum erit in quarto, quod proposui, nominum genere. Neque vero erit, credo, qui nomina illa in *enus* exeuntia non tam Romana esse mihi obiecerit, quam peregrina. Observavit enim Mommsenius in eo libro, quem de Italiae inferioris dialectis scripsit p. 362 not. 8., creberrima esse gentilia illa in Piceno et in adiacentibus Apennini montis partibus. Atque huic rei ad universam nominum rationem diiudicandam non leve pondus inesse, quivis potest persentiscere. Apud omnes autem populos ubique in hominum et locorum nominibus diutissime linguarum vel potius dialectorum discrimina servata esse non ignoro. Sed illud etiam scio: nomina illa vel Oscorum vel Umbrorum vel denique Etruscorum in linguam latinam non conversa esse nisi pristina forma vel leniter mutata. Ingenita enim est antiquis maxime linguis peregrina propriis adaptandi consuetudo longe validissima. Quodsi ita est, a Romanis talia no-

mina seiungere non licet. Et de Sabinorum nominibus monuerat hoc iam Mommsenius l. s. s. p. 358, praesertim cum formae eorum populares desiderentur una cum linguae Sabinae reliquiis fere omnibus: apud Etruscos Oscos Umbros servavit eas lapidum vel aeris saluberrima stabilitas. Idem autem cadit in satis magnum nominum in *edius* numerum, ut Mommsenius docuit p. 364.; non idem prorsus in rariora nomina in *acus* et *avus*, quae conspectus mei primum et ultimum genus complectitur. Haec vero quinque gentiliciorum in *us* exeuntium genera (*anus enus inus acus avus*) non excessisse videtur antiquiorum temporum consuetudo. Nam postea, h. e. inde a medio fere tertio p. Ch. n. saeculo, si Niebuhrium sequimur (v. Orellii inscr. n. 3035), etiam hic nil fieri non potuisse nec mirum est, nec fugit praeter alios Eckhelium. Si quae enim praeterea proferri possunt nomina in *us* exeuntia, ea aut reiectanea sunt aut non gentilicia putanda. Scilicet non pauca eorum emendavit iterata lapidum inspectio: ut v. c. pro MAMERCO Mur. 1039, 6 = Or. 3854 nunc legitur MAMERCIO I. N. 910, pro BASSVS Reines. VIII 16. BASSIVS I. N. 2848; cf. etiam I. N. 1732. 2559 (II 32. 33). Accedit, quod in notissima illa posterioris aevi cumulandorum nominum consuetudine plura saepius in lapidibus cognomina extant omisso omnino gentilicio. Sic de C. Bellico cos a. p. Ch. n. LXVIII, quem male in Bellicium mutare voluerat Almeloveenus, rectissime Marinius iudicavit Arv. 485. Cognomen etiam et fortasse peregrinum videtur TRVPPICVS Fabr. 652, 451 et 452 = Mur. 1756, 1. = Anthol. IV 265. Omnia exempla, quae huius generis in magnis inscriptionum collectionibus extant percensere et longum est et inutile.

Alterum vero genus gentiliciorum non in *ius* exeuntium habemus nomina in *erna enna ina*. Etruscae autem haec esse originis atque Romanis in *ennius inus* fere respondere Niebuhrius iam animadverterat in scholis, quas de hist. Rom. habuit II p. 399. Exempla eorum adscribere non inutile visum est: ceterum loca, ubi pleraque inventa sunt, Etruriam

patriam evincunt. In adscribendis autem testimoniis epigraphicis semel moneo, me uno idoneo uniuscuiusque nominis auctore contentum fuisse, ubi ex multitudine exemplorum nihil utilitatis redundare videbam: in notioribus nullum adscripsi. Nolui autem molestus esse in adnotandis singularum inscriptionum, quae in magnis collectionibus extant, auctoribus: tacite quantum potui a falsis dubiisque cavi. Inveni igitur exempla haec:

ABENNA Maff. M. V. 447, 6.
AGISENNA Mur. 1516, 8.
ALINNA Gori I 49, 92.
ARTENNA I. N. 5240.
AVLINNA Maff. M. V. 471.
CAECINA I. N. 6952. CAECINNA I. N. 3925.
CALESTERNA Gori III 163, 193.
CATINNA Gori I 31, 56.
LARGENNA Kellerm. Vig. 101 a. 2. 43.
LAVSENNA Gori II 455, 77.
Mastarna, v. Muelleri rer. Etrusc. I p. 117.
PERPERNA I. N. 2156. 6769 (VII). PERPENNA Grut. 177, 7. = Or. 1147. Grut. 920, 9 = 923, 5. = Or. 4812. cf. etiam ineditam inscriptionem Vaticanum ap. Ritschelium Mon. ep. tria p. 28. PERPENA Mar. Arv. 186. = Or. 569. Mur. 1723, 13.
Porsenna vid. Muellerum l. s. s. I. p. 426 et Lachmannum ad Lucr. p. 37. *Porsina* formam ex optt. codd. Livio restituit Alschefskius.
PRASTINA I. N. 1421. 3337.
RABENNA Kell. Vig. 101 a. 2. 7.
SPVRINNA Gori II 288, 15. cf. Sueton. Caes. 81. Maz. f. 176.
TAPSENNA I. N. 3994.
TATTENNA Kell. Vig. 99. 2. 21.
TERSINA Gori I 301, 35.
THORMENA Vermigl. Iscr. Per. I 14.
Vibenna, Caeles.

VOLASENNA I. N. 2383 a, g. 2416.
Q. VOLFERNA Grut. 841, 10 = Maz. f. 148. v.
Accedunt, quae cognominum loco reperiuntur:
MERENNA Nouveaux annales de l'instit. etc. I 39 = Or. 3723.
Sisenna vid. Ellendtium p. 48.
Tarquenna Varro R. R. I 2, 27.

Titulus quidam in Etruria repertus, quem Kellermannus edidit (Bullet. dell' inst. 1833 p. 58. cf. etiam Annali dell' inst. VI 1834 p. 155) ita fractus est ut utrum TERCENNA an PERCENNA an LIERCENNA legendum sit, non liqueat. De Lanuvino illo T. Patina in Ciceronis Milon. XVII 46. nihil definio: potest enim cognomen esse, ut Clepsina Velina alia, de quibus Ellendtium vide p. 52. 55.

Verisimile autem est nominibus hisce aeque atque magno cognominum in *a* exeuntium numero, velut *Agrippa Cotta Galba* alia, *s* litteram detractam esse, quam primi casus signum fuisse scimus. Quam litteram etiam Graecorum nominibus in *ας* constanter detraxit lingua Latina antiquior, cum Graeci contra eam Latinis in *a* adderent. De utroque autem hoc usu Bentleium in epist. ad Mill. p. 517 sqq. ed. Lips. egisse notum est, quocum cf. etiam Struvii verba de coniug. et decl. lat. p. 6. Seiungenda igitur sunt haec nomina a femini generis cognominibus, qualium magnam molem collegerunt Marinius (Arv. 323) Schlegelius (bibl. Ind. II p. 321) Pottius (Quaestt. etym. II p. 433) Iahnius (Spec. epigr. p. 136). Atque hoc idem est discrimen, quo cognomina, quotquot extant, in duas partes dividuntur. Scilicet cognomina aut propria quadam declinatione formata sunt, aut nulla mutatione facta e nominibus appellativis in propria conversa. Neque tamen hic locus est, ut diligentius in illud discrimen inquiratur. At Varro iamiam in masculini generis anomalia, quam in nominibus hisce deprehendisse sibi videbatur, offenderat. Is enim et haec scripsit (X 27. M.): 'ut actor stolam muliebrem, sic P e r p e n n a et C a e c i n a et S p u r i n n a figura muliebria dicuntur habere nomina, non mulierum', et bis praeterea sibi

opposuit Perperna masculinum et Alfena femininum (VIII 41. et IX 41). Neque aliud eum in mente habuisse arbitror circa finem octavi libri (81.) quo loco Muellerum prorsus non intellego, quid profecerit lacunis istis indicandis in re simplicissima. Spengelius cod. scripturam intactam reliquit. Etenim in nominibus propriis sicut in aliis linguae partibus analogiam nullo modo servatam esse contendit Varro. Secundum analogiam enim cum in *a* exeant feminina: 'Perperni filia, non Perpernae, Perperna [mulieris nomen] esse debuit et nata esse a Perperno'. Quae uncinis inclusi, haud scio an a librario quodam male sciolo profecta sint. De mulieris enim nomine rem esse, cum Perpernam Perperni filiam fuisse disertis verbis dictum esset, non addere debebat pressa Varronis breviloquentia. Hanc autem eius sententiam fuisse quae sequuntur verba prorsus evincunt: 'quodsi Marcus Perperna virile est nomen et analogia sequenda, Lucius Aelia et Quintus Mutia virilia nomina esse debebunt (sive potius debebant). Quae vero media interposita sunt, vix expediverim. Mitto exemplorum, quae sunt 'Arbernus Percelnus Perpernus' tam brevem enumerationem, ut tantum non omnia cogitatione supplenda sint: cuius quaeso lectoris gratia haec adscripsit: 'Arberna Percelna Perperna'? Per me igitur, si quis volet, cogitet aut de Varronis ipsius additamento quodam eius generis, de quo Muellerus disputavit praef. p. VIII, aut de interpolatione non indocta. Interea vero cum obscurissimo Percelnus nomine comparentur Oscorum 'perkedneeis' et, praeter Percennium illum Catonianum (R. R. 151), quem attulit Mommsenius de diall. p. 285, PERCERNIVS forma eius quod solet Pescennius esse nominis, quam habes apud Malvasiam Marm. Fels. p. 527. (Ligoriana enim est Gud. 135, 4 = Gori III p. 91).

Sed ut Varronem missum faciamus, non proprie quidem gentilia, sed gentilium tamen loco fuisse videntur nomina in *as* vel potius *atis* desinentia. Nam 'hic et haec Arpinatis Sufenatis Capenatis' etiam Catonem et Titinium scripsisse

Priscianus austor est p. 649. 761. P. Eorum autem haec collegi exempla:

L · ADENAS Verm. I 23, XII.

C · LARINAS Grut. 917, 1 = Or. 1879. = Maz. f. 131 v. Gori I 365, 104 = Fabr. 157, 266. Maz. f. 179. Haec forma procul dubio pro inaudito 'Latinas' Phocae restituenda est p. 1695 P.

C. Felginas Caes. B. C. III 71.

M · FVLGINAS Grut. 179, 9 et 872, 4 (de nomine enim, quanquam inscriptiones istae Lazii tantum fide stant, non dubitaverim).

C · MEFANAS Bianchi Marm. Crem. p. CLXV = Or. 4080.

L · SENTINAS Grut. 467, 2 = Or. 3861.

C · SVFENAS Lupi Ep. Sev. mart. p. 129 = Mur. 1561, 12. Fabr. 456, XIV.

C · SVRINAS Kell. Vig. 102 a. 2. 14. (Mur. 2039 male VIRINAS exhibet).

Accedunt cognomina Noniorum *Asprenas Sufenas,* Sergiorum *Fidenas,* Albiorum *Carinas.* Apparet autem nihil aliud esse haec nomina, quam adiectiva ab urbibus derivata; apparet in hisce: Fulginas Larinas Mefanas Sentinas Sufenas (quod cum Trebula Sufena oppido recte Pottius de nominibus etc. p. 443 composuit) Carinas Fidenas: in relicuis aut casus aliquando similem fortasse explicandi rationem suppeditabit, aut aliunde circumspicienda est interpretatio. Atque cum *Surinas* nomine fortasse comparari potest *Surrena* vel *Sorena* oppidum Tuscorum, cuius ex inscriptionibus memoriam redintegrare studuit Oriolius (vid. Nouv. annales de l'institut etc. I p. 38). De *Adenas Felginas* vero nominibus nil habeo quod comminiscar. Ceterum Romanos in hoc gentilium genere vel Etruscorum vel Umbrorum consuetudinem secutos esse Lanzii coniectura est (v. Saggio di ling. Etr. II p. 358). *Maecenas* saltem apud Etruscos gentilicium nomen fuisse, quanquam scio Etruscos non pari ratione gentilicia habuisse atque Romani habuerunt, mihi persuaserunt Muellerus (l. s. s.

p. 416) et Haulhalius (vide nov. mus. Rhen. V p. 531 sq.). Cui rei optime conveniunt C · MAECENAS · OLYMPICVS I. N. 6769 (I 86), C · MAECENAS · HELIVS Grut. 614, 11. De L. MAENAS · L · L · ALEXANDER Verm. II 349, 75 atque de NER · CAPIDAS et C · CAPIDAS (in noto lapide Asisinate Grut. 167, 8, quodc v. Aufr. et Kirchh. rel. ling. umbr. II p. 390) quomodo flectantur nil constat. Itaque non ausus sum nominibus in *a* ea adscribere: sed libentissime servatae in primo casu *s* litterae exempla agnoscerem. Sunt vero praeterea alius generis nomina quaedam, nisi fallor, gentilicia vel Umbricae vel Gallicae vel Etruscae originis:

P · BLERRA Olivieri Marm. Pis. p. 5, 9. 10. 11 = Mur. 953, 4. 5.
L · NEMALA Maff. M. V. 380, 7.
L · PEVTVCA Maff. M. V. 284, 1.
L · SAENA Gori I 295. 19.
Q · VASAVNA Furl. Lap. Pat. 373, 869. (*Vasanna* coni. Furl.).
C · VIBA · FAVSTI · Bullet. 1839 p. 20 (figl. etrusc.).

De his vero quid statuendum sit, sperandum est fore ut ab iis edoceamur, qui linguis illis resuscitandis operam dant. De L · SORA · L · F, quod nomen extat in titulo Caleno I. N. 3956, quid Borghesius iudicaverit (della gente Arria p. 16) a Mommsenio commemoratus, nescio: Sora cognomen semel praeterea inveni in titulo Comensi (v. Momms. inscr. confoed. Helvet. 2). Neque enim quominus de cognomine apte cogitetur illud impedit quod sequitur in lapide L · ARRIVS · M · F: namque a simili inaequalitate ne in publicis quidem inscriptionibus Romani abstinuerunt, ut docet pontis inscriptio Q · LEPIDVS · M · F · M · LOLLIVS · M · F c. q. s., de qua Mommsenium vide in act. soc. Saxon. II p. 320.

Haec repperi gentilia in *a* et *as* desinentia. Atque libertatis temporibus aliarum praeterea terminationum gentilia omnino in usu fuisse firmiter negandum duco. Qua in re illud non vereor, ne cui fraudi sit antiquior *o* terminatio pro *us* posita, quam omnes norunt. Si quae vero

praeterea extant nomina in *o* exeuntia, de eis utrum cognomina putanda sint ex eorum genere, quae Marinius composuit Arv. 250 sqq., veluti:

C·GALLIO·CHRESTVS I·N. 6769 (V).
L·QVINTIO Iahn spec. ep. p. 38, 110.
SEX·VARRO·VENVSTIANVS Kell. Vig. 101 a. 3. 33.

an barbara, veluti:

C·NVMO·HONORATVS Kell. Vig. II 1. 73.
Q·PLASO·IVCVNDVS ibid. 104, 7.
L·SEVDO·AELIANVS Bullet. 1830 p. 209 (quod nomen celticum Borghesio visum est ibid.)

liberum penes unumquemque iudicium est. Ceterum quod supra dixi, inferiori aetati nil fere non licuisse in hoc genere, id talia exempla demonstrant, qualia sunt:

Q·AQVILEIENSIS·DIADVMENVS Grut. 37, 3.
M·FARRAX·SATVRNINVS Kell. Vig. 103 a. 20. 2. 3, 84.
A·OSTIENSIS·ASCLEPIADES Mur. 177, 7.
C·POMPOS·MARCELLINVS Kell. Vig. I 3. 39.

ut in his subsistam. Restat postremo solitarium prorsus et ob hominem illum, qui eo usus est, perquam notabile exemplum gentilicii nominis in *es* exeuntis, *Verres*. Hoc enim revera gentile fuisse Mommsenii opinio est (v. act. soc. Saxon. II p. 62), cum similiter bis extet praeterea: in inscr. inedita Vaticana ibidem prolata et apud Gruterum 601, 1.

Pertractatis iam eis nominibus, quae legitimo gentiliciorum in *ius* terminandorum usui aut adversantur aut adversari visa sunt, redeo nunc ad solitam hanc terminationem. Cuius postquam demonstratum est a Ritschelio prorsus vicariam fuisse *eius* formam (vid. indicem scholarum proxima hieme in hac universitate habitarum), nolui nunc quidem exempla illa, quae coacervavit, pro sua quodque fide et auctoritate diligenter examinare: quode quidquid mihi explorasse videar, brevius quotiens in ea nomina disputatio incidet significari poterit. Sed duplici illi varietati tres alias eiusdem terminationis formas subiungam. Et unius quidem earum ex-

empla Ritschelius tantum non omnia iam addidit, relicuas vero eodem huc pertinere in propatulo est. Enimvero cum de *ejo* affixo (ut ipsius loquendi scribendique rationem servem) Aufrechtius ageret in diariis suis I p. 228 sq., ex *ai* antiquiore forma hoc affixum profectum esse suo iure contendit, nimirum et Sanscriticae linguae secutus analogiam et Oscarum *pompaiianai pompaiians* formarum auctoritati rectissime sese mancipans. Quod revera sic factum esse non desunt quae certissime evincant exempla. Atque etiam hic, quod saepius usu venit, antiquior forma apud provinciales perduravit. Marsorum enim sunt ANAIA I. N. 5587 (de quo verbo non licet dubitare in inscriptione non prorsus certae alioquin lectionis), VIBIDAIVS I. N. 5552; Picentium ΓΟΓΑΙΟ in antiquissimo titulo Pisaurensi (v. Momms. de diall. p. 342); MELISSAI I. N. 2284 Oscorum (v. eundem pp. 243. 259. 279), quocum cf. etiam *marai* et *marahieis* genetivos a *maras* factos, cui Romanorum Marius respondere Mommsenius docuit ibid. p. 277. Num autem *anaium*, quod legitur in venerandae antiquitatis lapide Cuprae reperto (v. eundem ibid. p. 333), nomen sit, nescitur in tanta eius inscriptionis obscuritate. Videtur autem eadem terminatio etiam Etruscorum fuisse, teste VLAIVS nomine, quod in aerea lamella Clusina ap. Gorium II 412, 16 extat, si schedis Innocentii Nardii fides est. Dubia vero lectione RIPINAIIA est apud Verm. I 25, XVI, dubia interpretatione *kaiusinaia* ap. Momms. l. s. s. p. 18. Accedit, si modo nil peccatum est a typothetis T· ACCAI... Bullet. 1839 p. 59, ubi Fabrettus 402, 229 ACATI ediderat. Dubium COCAIVS mihi videtur Donat 316, 7 = Iahn sp. ep. p. 144; reiectaneum est POPPAIA Verm. II 242: ectypon enim eius tituli, quod apud Ritschelium servatur, aperte POPPAEA exhibet; corruptum denique QVINQVAIVS Iahn. sp. ep. p. 97, neque emendationem conari licet, priusquam scriptura denuo examinata est. Ceterum Marsorum ANAIEDIVS nomen I. N. 5567 derivatum esse ex ANAIVS Mommsenius iam observaverat de diall. p. 347. Quod non

minus cadere in ANNAIENV. formam Fabr. 604, 41 non fugerat Furlanettum lap. Pat. 348, 420. Persimile autem PVLLAIENVS nomen est Fabr. 640, 343. 344. videlicet a POLIVS I. N. 5040, PVLIVS (quod clarum illud as Lucerinum habet) derivatum. De APPAIENA contra (Grut. 865, 3.) dubitaverim in tanta I et L litterarum similitudine: APPAIENVS enim ex I. N. 602. 603. 604. notum est. Eandem denique *aius* terminationem agnosco in amphorae cuiusdam musei Estensis inscriptione ap. Furl. lap. Pat. 455, 704: L· HEOLAI. In qua cum Furlanettus graecanicam vel potius ex graeco corruptam *Iolai* nominis formam deprehendere sibi visus esset, verum, nisi omnia me fallunt, Cavedonius iam perspexit (v. Bullet. 1848 p. 10): latet enim *Heioleius* nomen, quod sic legitur in antiquo titulo Capuano I. N. 3551, HEIVLEIVS vero scriptum est apud eundem Furlanettum lap. Pat. p. 293, 316.

Addo hisce in *aius* formis pauca sed non tacenda *aeius* terminationis exempla: ANNAEIA Gori III 27, 32 et ANNAEIVS Mur. 1517, 14 (e schedis Minervii, de quarum fide mihi nihil innotuit). Aperte autem ficta est inscr. Grut. 95, 7. dubiae fidei Mur. 1574, 14 (e schedis Ptolomeis) et 74, 3 (e schedis Farnesiis Hispaniensis), in quibus 'Auruncaeia' et 'Peducaeius' extare dicuntur. Deinde quo iure ex SERVAEI et SEXSAEI genetivis Fabrettus p. 646, 396 et 647, 399 Servaeiam et Sexsaeiam gentem fecerit, nemo non videt.

Sed quanquam diphthongus illa vel triphthongus non caret ratione, in eis tamen acquiescendum est, quae Ritschelius monuit (Mon. ep. tria p. 8), quibuscum conferre licet Schweizeri verba (in Aufrechtii diariis II p. 353).

Cum duabus autem hisce *aius* et *aeius* terminationibus quam arcte *aeus* tertia coniuncta sit, Zaccaria iam perspexerat (istit. p. 66). Certa quotquot repperi exempla haec sunt:

ACCAEVS Maff. M. V. 296, 1.
ANNAEVS.

APPAEVS Furl. lap. Pat. 263, 282. 283 = Mur. 1435, 9. 8. Furl. ib. 433, 605. Maz. f. 54. v. Kell. Vig. II 2, 64.
ARCAEVS I. N. 2195.
AVAEA I. N. 5779.
BASSAEVS I. N. 1497. 2627.
FEBRVCVLAEA I. N. 5520.
MELISSAEVS I. N. 2217. al.
PETRONAEVS I. N. 5603.
PEDVCAEVS Grut. 182, 4. Mur. 1312, 12. 1615, 38. 1616, 3.
POMPONAEVS I. N. 5538.
POPPAEVS I. N. 6149 al.
SERVAEVS Fabr. 646, 396. Iahn sp. ep. p. 75.
SEXSAEVS Fabr. 647, 399.
TERRAEVS I. N. 538. 540.
TETTAEVS I. N. 1317.
VELLAEVS I. N. 657. 689. Tac. Ann. III 39.
VINAEA Lama iscr. della scala Farn. p. 34, 2.
VISAEVS Mur. 11, 1.
VERGINNAEVS Grut. 789, 2 = Maz. f. 169. v.

Accaeus scriptura prorsus reiectanea est in Vibio Accaeo vel Accuaeo Paeligno, cuius memoriam Livius XXV 14. et Valerius Maximus III 2, 20. servaverunt. Verissimi enim utriusque libri testes, ut cum Kempfio loquar (Val. Max. p. 256), Livii Puteaneus et Vaticanus Iulii Paridis, Valerii epitomatoris, *Accaus* habent, quod confirmant inscriptiones in Paelignorum finibus repertae omnes: I. N. 5342. 5362. 5379. 5381. 5965. cf. Momms. de diall. p. 259. Neque igitur cognomen est, sed nomen, Vibius praenomen, ut saepissime (vide Borghesium nuovi framm. I p. 81 alios). — Quod conspectui supra proposito quaedam peregrinae fortasse originis insint, non neglexi: velut *Terraeus*, quod Messapiorum nomen fuit (v. Momms. de diall. p. 73), et *Visaeus*, quod prodiit e titulo in Valle Non reperto; sed ea tantum ratione peregrina credenda sunt, quam supra significavi p. 13. Ceterum incerta Mommse-

senio visa sunt *LVCCAEVS I. N. 1649 et *VSSAEVS I. N. 429; graeca, barbara, cognomina, ut soleo, tacite omisi.

Quam saepe vero in omnibus linguae partibus *ae* et *e* se exceperint, ne verbo quidem monere opus est: in eisdem nominibus *aeus* et *eus* terminationes iuxta usitatas fuisse intelleget, qui cum proximo indice quae sequuntur nomina comparabit:

AMMEA Mur. 953, 3.
ANNEVS Kell. Vig. 103, 16. I. N. 2951. Donat. 407, 21.
APPEVS Mur. 1639, 16. Gori I 387, 143.
BASSEVS I. N. 1564.
BRVTTEVS Malv. M. F. 439 = Mur. 1142, 8.
DVCEA I. N. 772.
FARSEVS Kell. Vig. 99 a. 3. 22.
FIRMEVS I. N. 112.
LOLLIDEA I. N. 5606.
MESSEA I. N. 2815.
MVCIANEA Bullet. 1835. p. 179.
PAXEVS I. N. 3459.
PEDVCEVS I. N. 744. Bullet. 1845 p. 132 (13) Grut. 987, 16. Cavedoni Marm. Mod. p. 160.
PLENINEVS I. N. 6833 (I 14).
POMPEA I. N. 6350.
POMPONEVS I. N. 5511.
POPPEVS Grut. 851, 4 = Maz. f. 43 (POPEVS). Grut. 179, 6.
PRAETVMEVS I. N. 362.
SERVEA I. N. 3435.
TERREVS I. N. 539.
TINVLEVS Cavedoni M. M. 179, 13 = Iahn sp. ep. p. 131.
VELLEVS Colucci Ascoli p. 150.

MAMMAEA Alexandri severi mater (cf. Bullet. 1845 p. 62, 12 = Or. 955) MAMMEA scribitur Bullet. 1848, p. 188.

Rariora quaedam antiquioris linguae exempla *e* pro *i* positae ante vocales Mommsenius protulit (ap. Iahnium de

cista ficor. p. 43: *Feronea filea*) VIA · FLAMINEA exstat in lapide Fulginate Grut. 685, 3 = Or. 4836 = Burm. Anthol. IV n. 203. serioris aetatis; *Heres Martea*, cuius memoriam Paullus Festi p. 100 servavit, et *Albunea* eandem terminationem praebent; perinde usitatae fuisse videntur *Carsioli* et *Carseoli* formae, et a Puteolis *Potiolana* derivata est I. N. 830. 3336.

Denique cum ad *ius* terminationem unde exierat disputatio revertit, praecepti cuiusdam Ritscheliani confirmandi gratia quaedam proferre non absonum visum est. Consentaneum enim esse monuit in lectionum prooemio, quod supra memoravi (p. VIII) 'in hominum nominibus ab *eius* ad *ĭus* linguam transisse per *īus*'. De I autem litterae, quam longiore forma scalpere solebant, quae idem scripserit in nov. mus. Rhen. VIII p. 493 in memoriam revocare sufficit. Itaque possunt lapicidarum erroribus tribui quas proferam scripturae vel omnes vel plurimae; sed quae optime explicare licet, ea ne vitia habeamus, sed argumenta potius, e quibus nova discenda sint, ratio postulat. Etenim in inscriptionibus Neapolitanis leguntur haece: ANTONIA 4471. ANTONIO 6424. BVCCIVS 2334. CARISTANIO 3864. CARNIVS 6857. CLAVDIA 5962. DVCENIA 5964. GRANIO 4770. LVCILIAE 5407. M·AMONIVS 2795. PETICIVS ter 3634. POETELLIVS 6892. POMPONIVS 6809. SPELIA 7023. THADIA 7131. VALERIO 6284. VALERIV 7286 p. XXI. VERATIO 7131. Quibus adde ex Gorio: CLAVDIVS bis I 161,100 FLAVIVS I 401, 193 SENTILIA III 363, 4. et ex Furlanetti lap. Pat. CALVISIVS 339, 351. VETTIO 253, 264. Neque tamen negaverim inesse hisce prava nonnulla inferioris aevi insciliae tribuenda. Consulto omisi quae alius generis visa sunt exempla haec: AGILEIAE 6409. (numeros simpliciter positos refer ad inscr. Neapol.) AVRVNCVLEIVS 4488. COCCEIO 4195 (I 16). PACTVMEIA Gori II 389, 36. POMPEIO 2809. POMPEIVS 6839. PROCVLEIO 5777 (ita bis scriptum est, bis sine i longa). SAVFEIO Furl. lap. Pat. 268, 291.... ISVLEIA, 550.. VLEIAE 5127.

Haec enim fortasse ad *i* litterae inter duas vocales positae acriorem illum sonum referenda sunt, quem geminatione significare quibusdam placuit (vide Lachm. ad Lucr. p. 371). Cuius geminationis cum Lerschius iam protulisset POMPEIIA exemplum (Or. 4356), nunc addi possunt OPETREIIA I. N. 1502 et SABINEIIVS Momms. inscr. conf. Helv. 43. — Accentibus autem, quos dixerunt, epigraphicis nihil aliud significari, quam vocalium productionem, plerique, credo nunc intellexerunt, postquam a Ritschelio monitum est (v. mon. ep. tria p. 31). Quid igitur de hisce iudicabimus exemplis (quorum partem Kellermanno debeo ap. Iahn. sp. ep. p. 121): CVTÍAE Marini Arv. 713. GAVÍVS ibid. 710. IVLÍAE Grut. 1142, 10. LÍVÍVS Zaccaria istit. p. 338. NOVELLÍVS I. N. 2370. SCVRRACÍAE I. N. 3359. VIBÍVS Mar. Arv. 712? Itaque vix erit qui miretur, quod is qui epigramma confecit ap. Mazochium fol. 145 = Burm. Anthol. IV n. 70. a tali versu abstinere noluerit:

His iacet exanimis tumulis *Aelia* Sabina

('his' enim cum Schradero scripsi: lapis, ut auctor est Mazochii corrector 'hic' habet, Maz. 'hinc'.)

Ceterum si in titulis quibusdam vel Etruriae vel quae olim fuit Etruscorum Galliae cisalpinae pro *ius* breviorem *is* formam reperimus, velut BRVTIS Verm. I 29, 27. FVLVIS Gori I 57, 135. VENTINARIS Furl. lap. Pat. 49, 55 (quem tit. Orellius 1577. male suspectum crediderat), hoc notissima illa vocalium elidendarum apud Etruscos consuetudine explicatur. Neque a ceteris Italiae dialectis hunc usum afuisse, Umbrorum docent *Trutitis Koisis* nomina et similia multa de quibus cf. Aufr. et Kirchh. II p. 311. 392. 394., Oscorum *heirennis niumsis* (v. Momms. de diall. p. 261). Atque idem fortasse non improbabiliter statui potest de ANAVIS CLODIS REMIS RAGONIS nominibus, quae leguntur in ollis columbarii prope 'S. Cesario' detecti ap. Baldinium (Saggi dell' Acc. di Cortona II p. 151.) Quamquam Mommsenius antiquiorem potius genetivi formam in illis exemplis servatam esse dubitanter con-

iecit de diall. p. 230. Similiter pro *Aurelius* in bilingui inscr. Or. 5009. *ΑΥΡΗΛΙΣ* extat: eiusdemmodi graeca e Franzii elem. ep. gr. p. 248. Mommsenius iam attulit l. s. s. p. 229.

Postremo, ut plena evadat haec disputatio, singularis cuiusdam formationis mentionem inicio, quam MODIEIVS ap. Fabr. 453, 69. et TRVTIEIVS ap. eundem 152, 216. nomina exhibent. Et cum Modicio Mommsenius iam comparavit Oscorum *Iovicieium* et *Vestricieium* (de diall. p. 229. not. 68): ita ut etiam hic fortasse de dialecti cuiusdam propria consuetudine cogitandum esse videatur.

Exhausta tandem unius terminationis formarum multiplici varietate, de notione, quae ei subsit, eo brevius mihi monendum esse video, quo latius pertinere hanc quaestionem frequens *ius* terminationis per universam linguam usus docet. Atque comparaverunt Sanscriticae linguae periti *ya* et *eya* suffixa cum *ius* et *eus* latinis; quanquam *eus* et *ea* a nonnullis severe disiungi video ab *ius*, velut a Duentzero (de verb. lat. format. p. 33); quod secus esse in adiectivis certe in *ceus* et *cius* exeuntibus Aufrechtius perspexit (vide diaria, quae saepius memoravi II 210 sqq.). Gentilicia autem adiectivorum fere locum obtinere, h. e. ad aliud quid notione referri, res ipsa atque usus demonstrant. Et cognationi qualicumque significandae *ius* terminationem primitus inservisse, si quis huius rei causa in universam linguam inquisiverit, aut omnia me fallunt, aut certis argumentis demonstrare poterit.

III.

Pergo ad primi generis nomina recensenda; et ita quidem recensenda, non ut omnem de eis quaestionem me absoluturum esse pollicear, sed potius ut variarum formationum exempla componam atque inter se conferam, futurae quaestioni fundamenta substruere contentus.

Nominum igitur in *acus* exeuntium, quorum supra iam mentionem feci, hac exempla inveni:

AVIDIACVS I. N. 5817. AVIDIACCVS I. N. 5780. 5941. 6084.
CALACIACVS Kell. Vig. 171, 2 (miles natu Patavinus).
CARIACVS Kell. Vig. 101 a. 2. 30 (Pollentinus).
LAECINIACVS Mur. 1364, 8 (inscr. Aquileiae reperta.)
MAGIACVS Kell. Vig. 103 a. 34. (Vercellensis) Grut. 830, 3. (Mediolani); cogn. est Grut. 52, 10 (Augustae Taurinorum).
Dubiae auctoritatis est CVRTIACVS Grut. 1107. 9 (Ravennae e Pighianis) = Malv. M. F. 235 = Mur. 809, 3. (Salonae e Ioanne Lucio): dubium etiam *VTIACA I. N. 6194. Corrupta quaedam non commemoro.

Nil moror *c* litterae geminationem; sed praeter insolitam *us* terminationem illud quoque commune habent haec nomina, quod *acus* suffixum stirpi non adhaeret, nisi *i* littera interposita. Verum de hac una littera et difficilior quaestio est et uberior, quam quae hic apte inseratur. Praesertim cum paene ex omnibus nominum generibus exempla conquirenda essent; quorum in uno nomine gemina interdum habemus, velut *Aufidenus Aufidienus, Aulenus Aulienus, Petedius Petiedius* e. q. s. s. — Ceterum Vestinorum sunt *Avidiacus* et *Seminiacca* nomina, relicua aut Galliae cisalpinae aut Ligurum. Eandem autem originem prae se ferunt cognomina haec: MANIACVS Mur. 715, 5 = Or. 3847. Aquileiae, OCIACVS Mur. 1193, 10 Nemausi, TOGIACVS Grut. 845, 5 Narbone reperta. Non dissimilia deinde videntur geographica quaedam earundem regionum nomina: *Medoacus* fluvius, lacus *Benacus* et *Comacenus*, *Bedriacum* vel *Bebriacum* oppidum imperatorum proeliis notum. Composui autem haec, quanquam scio, correptam esse *a* in *Bedriaco* (cf. Iuven. II 108.), productam in *Benaco* (Virg. Aen. X 205. Georg. II 160). Accedunt fundorum nomina similiter formata, quae ex tabula alimentaria Veleiate enotavi: *Arsuniacus Cabardiacus Caturniacus Noniacus Pisuniacus* alia. Galliam transalpinam, ubi oppidorum similia nomina longe frequentissima sunt (cf. Pottii de nominibus librum p. 456), non curo. Prudenter igitur fecisse credendus est Marinius Arv. 94, quod cum *Avidiacus*

nomine *Abudiacum* (vel *Abodacum* vel *Abuzacum*) oppidum Norici comparavit. In medio autem relinquo, num iure huc traxerit inscriptionis fragmentum: 'TABVIDIACVM || PRIMVM || SIRICARIVM', dequo modeste sic scripsit: 'non so se in questo frammento d'iscr., che un mio amico vide molti anni sono presso il Signor Bellotti si parli di un Tito Abuidiaco Primo o di altra cosa.' Quis igitur negaverit posse quidem Gallicae originis fuisse Avidiacus et Seminiacca nomina? Sed illud quoque non neglegendum est, *ako* suffixum etiam apud Umbros in adiectivo ab urbe derivato extare, quod *Tesenako* est (v. Aufrechtium etc. II p. 186). Itaque confidentius nihil propono, videamus, num quid disci possit e cognatis nominibus in *acius*. Quorum indicem hunc habeto :

ALFACIVS Fabr. 346, III.
ANTRACIVS I. N. 3561. 5037.
CABALACIVS Fabr. 610, 86.
CETACIVS Grut. 388, 1 (Venetiis rep.)
HELVACIVS Lama in app. legis Rubriae p. 66 (Placentiae).
HERBACIVS I. N. 2454.
MENACIVS Bullet. 1831. p. 219 not. 11 (Polae).
PALACIVS Maff. M. V. 464, 5 (ex Africa advecta.)
PATLACIVS I. N. 1119. PATVLACIVS I. N. 1121.
RETINACIVS Mur. 739, 8 (Utini).
SCALACIVS I. N. 822.
SCVRRACIVS I. N. 3818.
SERVACIA Grut. 807, 11 (Arelate).
TARACIVS I. N. 3833. cf. Bullet. 1853 p. 47.
VEIACIVS Kell. Vig. 114. 2. 14.
VIRACIVS Maff. M. V. 115, 6 = Fabr. 116, 292. Kell. Vig. 101 a. 3. 24 (Cremonae).

Corruptum videtur ATEACIVS Mur. 1590, 15 (Bononiae descr. Gherardus), relicua eiusmodi praetermisi.

Atque *Cetacius Helvacius Menacius Retinacius Viracius* nomina Galliae cisalpinae esse apparet ex urbium unde prodierunt nominibus adscriptis. De *Alfacio* idem non inepte

quis coniecerit propter asciae signum eius titulo insculptum. *Cabalacii* autem inscriptionem Fabrettus ex Octavio de Rubeis habuit, ita ut quanquam locum non adscripsit de Brixia patria vel adiacentibus regionibus vix dubitari possit. De *Veiacio Palacio* unde fuerint nil constat: Servatius certe christianorum nomen fuit a partic. s e r v a t u s derivatum. Accedunt fortasse COMAGIA Grut. 774, 11 (Nemausi) = Mur. 1332, 1 (Venetiis?) COMMAGIVS Donat. 288, 2 (Romae) COLLAGIVS Grut. 1144, 6 (e Boissardi scripto exemplari) = Reines. VI 131, pro quo T · OLLAGIVS in eiusdem tituli fragmento extat Grut. 814, 3 (a Lipsio). Neque vero huc traxerim *magus* terminationem in Galliae oppidorum nominibus frequentissimam, velut *Bodinco-magus Comillo-magus Scingo-magus*. TITAGIA autem tituli Beneventani I. N. 1761 transitum nobis parat ad Italiam inferiorem, unde haec nomina sunt: *Antracius Herbacius Patlacius Patulacius Scalacius Scurracius Taracius*. Et cum Taracio *Gaiam Taraciam* illam comparare par est, de qua vide Gellium VII 7, 1., de *Tarracina* autem urbe cogitare vetat, quod ex graeco *Τραχίνη* derivata est, quode Ritschelius monuit in nov. mus. Rhen. VIII p. 479. Nisi forte Plinii verba aliud suadent (III 5. 59) a Mommsenio de diall. p. 320 allata. Quae enim Pottio (de nominibus etc. p. 443) placuerunt, corruunt, quippe pravae *Terracina* scripturae superstructa. Constanti enim *r* litterae geminationi non nimium tribuo. *Patlacius Patulacius* cum *Patulcius* voce Mommsenius comparavit de diall. p. 305 (cf. PETVLCIVS I. N. 6154): et duplicem profecto derivationem perspicere licet in *ul-ac-ius*. De relicuorum nominum stirpibus inquirere non est instituti mei: *acius* autem suffixum duarum potissimum regionum Galliae et Italiae inferioris proprium fuisse ampliore demonstratione non eget. Ceterum eo potissimum consilio composui in primo genere octo illas varietates, ut quod in universum incertissimum est, num *c* vel *t* littera haec nomina scribenda sint, certum fiat, quoad inscriptionem auctoritate certum fieri possit. Codicum enim in ta-

libus scripturae neque plene adhuc adnotatae sunt, neque in hoc genere vel antiquissimis semper confidere licet. Livianos certe libros, quantum per Alschefskium constat, saepius hic peccare observavi. Sed de his definitius aliquando licebit iudicare: quod inscriptiones praebent, in uno quoque genere tali conspectu adscripsi:

CAIACIVS Iahn sp. ep. p. 43, 163.	CAIATIVS I. N. 4259.
MVNACIVS Grut. 58, 5 (Lugduni) Grut. 554, 3 = Kell. Vig. 88. 6 = Maz. f. 103 v. (ibid. MVNATIAE).	MVNATIVS
NERACIA Mur. 861, 6 (Mediolani).	NERATIVS
TITACIVS Maff. M. V. 457, 3 (ex Africa adv.) Mur. 2092, 10 (Romae).	TITATIVS I. N. 6306 (144).
VARACIA I. N. 3807.	VARATIVS Kell. Vig. 2. 3. 34.
VERACIVS Olivieri M. P. 59, 141 = Mur. 1763, 5 = Fabr. 655, 475.	VERATIVS
VOLCACIVS I. N. 547. 3865. 7080. in magnis collectionibus al.	VOLCATIVS I. N. 697, 12. Mur. 1512, 4 (Firmi). Grut. 490, 2 (Firmi ex Panvinio et Simeonio) 490,3 (ibid. ex Panvinio.)

Parilis fere auctoritatis ex hisce nominibus *Volcacius* et *Volcatius* tantum esse apparet. De singulis enim exemplis *Caiacius Caiatius*, *Varacia Varatius* nil statui potest: favet certe *Caiatius* scripturae urbis *Caiatiae* nomen. *Munacius Neracia Veracius* prorsus solitaria exempla quam nihil valeant contra Munatiorum Neratiorum Veratiorum notam multitudinem neminem fugit. *Titatius* contra eo minus habet fidei, quia in figlino tantum extat: accedit, quam supra memoravi, *Titagia*. Verum tamen cum Romani mature iam c et *t* litteras ante *i* vocalem perinde pronuntiare coepissent, utrum

in his nominibus vetustioris originis *atius* an *acius* sit, quis diiudicaverit? Poterat profecto ex *verax* adi. fieri *Veracius*, poterat etiam utrumque suffixum, etsi origine diversum, cum eadem stirpe coniungi. — De prosodia *acius* syllabae nihil habeo quod proferam: namque semel tantum *Taracius* nomen a poëta usurpatum inveni, in epigr. I. N. 3833, sed ita tamen usurpatum, ut de prosodia in choliambo nil constet. Comparare denique, quae ex relicua lingua comparari possunt, velut adiectiva in *ax* et in *aceus*, substantiva in *aca*, non meum est.

Transeo ad nomina in *atius*, quorum haec collegi:

ACERRATIVS I. N. 468. 3587.

*ALBATIVS Mur. 552, 1 (Sarzanae Liguriae oppidulo rep.)

ALFENATIVS Mur. 191, 1. Grut. 856, 1 = Maz. f. 168 v.

AMATIVS I. N. 6769 (III). Mur. 1517, 8. 1629, 13. Fabr. 603, 35.

*ANCHATIVS Mur. 1265, 8 (Mantuae.)

*ANGATIVS Or. 3121 (Vol. II p. 38 tab. Genuat.).

APICATIVS Mur. 2044, 3 = Iahn sp. ep. p. 129.

ATESTATIVS Labus intorno vari ant. monum. scop. in Brescia p. 90. = Mur. 1373, 6.

AVIATIVS Kell. Vig. 101 a. 2. 4.

*AVORATIVS Fabr. 201, 494 (Nemausi).

BAEBATIVS I. N. 6011.

BARBATIVS I. N. 6442. Riccio mon. famigl. tav. IX. LIII. p. 35.

BARRATIVS Kell. Vig. II 1, 86. = VII 1, 44.

BOATIVS I. N. 1001.

Bullatius Horat. Epist. I 11, 1 (fortasse cognomen.)

BVRBATIVS I. N. 918.

CAFATIVS Gori I 294, 16 = Mur. 1649, 9. Kell. Vig. 101 a. 3. 3. Mar. Arv. 614 = Or. 1388. Bullet. 1840. p. 22 = 1841 p. 13.

*CALATIVS Mur. 1146, 2 (in vico Tresques in Occitania.)

*CALICATIVS Grut. 724, 2 = 768, 8 (Nemausi.)

CAMPATIVS Fabr. 28. LVII. Mur. 301, 4. Lupi Ep. Sev. mart. p. 85, LII.

*CAMVLATIA Grut. 731, 4 (Nemausi).

*CARATIVS Grut. 881, 7 (Nemausi). 643, 1 (Metis apud Lepidum).

CARINATIVS I. N. 635 (III 55). Kell. Vig. 2. 4. 48.

CARPINATIVS Mur. 1319, 2. Cic. Verr. accus. II 70. 169.

CATVLATIVS Gr. 967, 8 = Furl. lap. Pat. 306, 352.

CISATIVS I. N. 404.

CLOVATIVS I. N. 2377. 4795. Cloatius grammaticus ap. Gellium Festum Macrobium. CLVATIA I. N. 689.

*COBERATIVS Grut. 907, 5 (Metis ap. Lepidum).

*COMATIVS Mur. 106, 7 (Aquileiae). 709, 11 (Mediolani).

CVRATIVS I. N. 2148.

CVRIATIVS I. N. 977. 1992. 4506. 4795. 6828. Furl. lap. Pat. 315, 366.

DOMATIVS I. N. 1572. 1630. 4584. Maff. M. V. 259, 4.

DORCATIVS Furl. lap. Pat. 281, 310 = Grut. 895, 1. DVRCATIVS Mur. 698, 2.

EGNATIVS.

AEGNATIA Grut. 718, 11 = Maz. f. 35. Idemne est IGNATIVS christianorum? v. Fabr. 615, 132.

FIDENATIVS Kell. Vig. III 1, 25.

HORATIVS I. N. 789. 3153. ORATIVS Kell. Vig. 105. 2. 2. Grut. 699, 4 = Maz. f. 33. Mur. 1384, 2.

*ISATIA Mur. 1349, 5 (Lugduni).

LVPATIVS Iahn sp. ep. p. 42, 153.

LVTATIVS I. N. 78. 930. 2004 al.

MARATIVS Kell. Vig. 2. 3. 55.

MINATIVS.

MVNATIVS.

MVMATIVS Lama lex Rubria app. p. 54, 1 (Placentiae).

NERATIVS.

NVMATIVS Grut. 240 (I).

OCLATIVS Furl. lap. Pat. 131, 125 = Grut. 555, 2. Mur. 5, 7. 1116, 1. 1485, 10. 967, 5. = Gori I 409, 227. OCVLATIA Donat. 406, 9.

OCRATIVS I. N. 959. 3562. 3784. 5988.

OPTATIVS Kell. Vig. VII 2. 60. Or. 2325 (Lugduni). Mur. 1378, 6 (Viennae Allobrogum). Fabr. 140, 147 = Or. 3082.

PACATIVS Or. 3690. 4086. Maz. f. 139.

PECCATIVS Gori I 18, 30 = Fabr. 29, 132.

Pediatius Horat. Sat. I 8, 39.

PIRICATIVS I. N. 2270.

PISMATIA I. N. 1482 (cogn. 1533).

PLENATIVS Fabr. 134, 93 = Donat. 298, 1 = Reines. VIII 34.

PORCATIVS I. N. 387.

*ROMATIVS Grut. 477, 1 (Mediolani). 463, 9 (Comi). 1095, 9 (ibid.). Mur. 729, 1 (ibid.).

SEDATIVS Grut. 126. 1077. Mur. 543, 4 = Doni IX 6 = Reines. X 2.

SENATIVS Mur. 1374, 10 = Gori I 453, 96. Bullet. 1849 p. 93.

SORNATIVS I. N. 6307 (53). Mar. Arv. 824 (in duobus titulis Romanis).

SPERATIVS Kell. Vig. IV 11. Mur. 1131, 4 (Celeiae).

*TENATIVS Maff. M. V. 161, 3. 166. Grut. 924, 3 = Mur. 1751, 6 (Veronae). Grut. 822, 6 = Mur. 1783, 42 (ibid.). Grut. 723, 4 = Maz. f. 49 v. (Romae). Mur. 1408, 3 (Romae).

TISVFATIA Fabr. 650, 434 = Mur. 1295, 1.

TREBATIVS.

VELATIVS Fabr. 654, 470. 433 IV (accensorum velat. libertus).

VENVLATIVS Fabr. 655, 474.

VERATIVS.

*VERCATIus Mur. 1353, 5 (Deae Vocont.).

*VIMATIVS Annali XII (1840) 246 (tegula Veleias). Fabr. 517, 263 = Mur. 2500, 28 (a Borghesio l. c. comparati).

*VINATIVS Mur. 1131, 3 (in comitatu Vidascensi).

VIRIATIVS Maff. M. V. 141, 4. Grut. 30, 6.

VOCATIA Grut. 477, 1 = Or. 4060 (Mediolani).

*VLATIVS Gori II 264 = Zaccaria ist. p. 232 (Arretii fragm. elogii C. Marii). Bullet. 1830, 211 (ex Pedemontio). VLATTIVS Grut. 339, 4 = Or. 194 (Lugduni). Grut. 446, 7 (filia negotiatoris Lugudunensis). cf. VLATOS in nummis gallicis ap Momms. de Etrur. septentr. alphab. p. 238).

VRINATIVS Maff. M. V. 116, 1 = Or. 2377 (Tarvisii). Grut. 268, 1 (II 9). Kell. Vig. II 211.

Taedium, quod infinita haec nominum multitudo lectoribus fortasse peperit, nolui augere corrupta dubia barbara cognomina similiter recensenda, quorum plus triginta conquisivi: gallica certe protuli omnia, eisque ut statim agnoscantur crucem adpinxi. Omittere etiam potui quae ex participiis primae coniugationis formata esse videntur, velut *Pacatius Sedatius* et similia: sed quid est cur de ipsis stirpibus quaestionem ita praeoccuparim? Sic v. c. *Senatius* non improbabiliter derivatum est a senatu Tiburtino (v. Henzenium Bullet. l. s. s.), sed quidni a 'Sen' stirpe frequentissima, ut ex Beckeri quaestione illa quam supra memoravi p. 8. apparuit, senatu nullo intercedente *Sen-atius* fieri potuit?

Ceterum Etruscae originis *Cafatius* est (v. Muellerum l. s. s. I p. 421), eiusdem ARNATIA Gori I 177, 171. MAECENATIA I. N. 7048. *3238. Gori III 37, 51. Donat. 411, 8 = Mar. Arv. 485 feminina. Addenda autem eis sunt feminina adiectivorum in *as*, de quibus supra dixi, haec:

ATINATIA Maff. M. V. 270, 6. Mur. 2, 7 = Doni I 70 = Grut. 14, 6.

CARRINATIA Mur. 2084, 10. 2090, 11. Grut. 935, 10.

HISPELLATIA I. N. 3335.

SVFENATIA Mur. 1561, 12 = Lupi Ep. Sev. p. 129. Gori I 94, 42.

Quamquam masculina quoque ab eisdem adiectivis facta

sunt: *Carinatius Fidenatius Urinatius* (quod nomen ab *Uria* oppido recte derivavit Vermigliolius I 212, 26.); fortasse etiam *Campatius,* si *Campas* formae meminerimus, de qua v. Fleckeisenum in censura Plauti Ritscheliani Iahnii annal. vol. 65. inserta p. 239. Ad oppida item referenda sunt *Acerratius* (Messapiorum terrae proprium cf. Momms. d. diall. pag. 72) *Atestatius.* Atque dupliciter haec derivata sunt: *Apicatius Alfenatius Catulatius Carpinatius Venulatius*, novimus enim formas simpliciores; quod secus est in *Piricatio.* In *Aviatius Curiatius Pediatius Viriatius* formis ea quaestio redit, quam supra iam p. 28 alii opportunitati seposui. *Curatius* scriptura inferioris tantum aetatis inscriptione firmatur, sed conferendus etiam *Ἄντρων Κοράτιος* Sabinus est Plut. Q. R. 4. vide Momms. de diall. p. 355. Ceterum nimius esse videtur Ihnius, qui *Curiatius* et *Horatius* prorsus eadem nomina esse sibi persuasit nov. mus. Rhen. VIII p. 357. De prosodica autem natura huius suffixi, quod per totam fere Italiam usitatissimum fuisse intelleximus, dubitari nequit, neque enim correptae *a* litterae exemplum ullum mihi innotuit, si poëtarum quorundam *Palatia* verbi corripiendi pravam consuetudinem exceperis, de qua v. Lachm. ad Lucr. p. 37. Atque producta est ubicunque alibi lingua *at* syllaba derivationes creavit, velut in substantivis ut breviter dicam verbalibus in *atus* (de quibus cf. Aufr. in diariis istis II p. 211) eiusdemque terminationis adiectivis (*privatus* etc.), item in adiectivis in *atilis* et *aticus* dupliciter derivatis, qualia Duentzerus collegit l. s. s. p. 63.

Negandum est (quoniam interdum negare expedit etiam quod nemo affirmavit) Romanos nomina in *ocius* vel *otius* habuisse. Pauca enim quae huc facere fortasse quis existimaverit, aut non huc faciunt, velut NEPOTIVS I. N. 6769 (IV). Bullet. 1840 p. 95, *Velocius* ap. Cic. de Or. III 23, 86. si sincerum est ('emendare conatus est Victorius' Bait.) a 'velox' derivatum, aut peregrina sunt, velut ANNOTIVS inscr. conf. Helv. 232 et fortasse VARROTius Kell. Vig. II 2.

15. (cf. *Rubacotium* saltum in tab. Veleiate Lama II 6). Neque Romanum esse videtur quanquam patroni civitatis Marsorum fuit MARIOCVS nomen I. N. 5944. In re incerta conferas Thraciae fortasse originis cognomina in *ocus*, quae Iahnius attulit sp. ep. p. 78. Perexigua etiam e relicua lingua praesto est analogia; praeter adiectiva enim in *ox* nihil quod comparem habeo nisi *Nodotum* deum et *aegrotus caprotinus hornotinus* adiectiva cum similibus: *nepos* autem et *sacerdos* num parilia sint valde dubitatur.

Accedamus igitur ad nomina in *ucius*, quorum haec habeo exempla:

ALBVCIVS I. N. 2272. 2273. Maff. M. V. 277, 9. Furl. lap. Pat. 150, 139 = Grut. 395, 2 = 396, 9. Doni II 31. XI 34. cf. etiam Onom. Tullian. p. 27. Bernh. hist. litt. Rom. p. 621.

ALFVCIVS Kell. Vig. II 4. 21.

APRVCIA I. N. 4200.

*ATVCIVS Grut. 524, 8 (Poetovione).

CASTRVCIVS Furl. lap. Pat. 272, 292. Grut. 962, 6. Mur. 1653, 5. 1076, 6 = Doni V 51. cf. Umbrorum Kastruçiio ap. Aufr. et Kirchh. II p. 311.

ERVCIVS I. N. 982. 1459. 4040. al. Quintil. VIII 3, 22. Bonnell. ERVCCIVS Grut. 938, 12. = Maz. f. 153. v.

GENVCIVS I. N. 1007. 3014. 6769 (III) al.

LASVCCIA I. N. 2149 = 3066.

*LITVCIVS Mur. 1478, 2 (Colombiers). *LITVCCIVS Grut. 1121, 4 (Vasione Vocont).

*MATVCIVS Mur. 1266, 8 = 1709, 9 (Ucetiae — Bimardus legit MATVGIVS). MATVCCIVS I. N. 3253. Grut. 754, 14. *MATTVCIA Mur. 1054, 3 (Niciae, in eod. lap. extat etiam MATVCCIVS).

MINVCIVS.

PEDVCAEVS v. p. 23.

SABVCIVS Mar. Arv. 428.

TELLVCIA Grut. 612, 12.

TITVCIVS I. N. 5666. TITVCCIVS Gori I 90, 23 = Fabr. 184, 402 = 651, 437 (ubi male TITVCIVS).

VINVCIVS I. N. 697, 17. 1768.

Gallica etiam hic asterisco notavi. Quibus nescio an addere liceat haec:

TIVCIVS? Grut. 476, 2 (Mediolani ex cod. Alciati et Merula Apienus).

ΣΑΜΜΟΥΚΙΑ Fabr. 144, 163. cf. Samuca et Samuconius Grut. 887, 8 (Poetovione).

L · VERVCINVS · CLARHERNVS Mur. 1508, 5 (Antipoli).

Fundus Catucianus in tab. Vel. Lama III 6. cf. CATVCILIA Maff. M. V. 264, 8.

De *Lasuccia* et *Tellucia* etsi Latina esse possunt tamen dubitaverim: nil enim magis, nisi fallor, in tali quaestione cavere oportet, quam quae fieri omnino potuerint ea ne semper etiam facta esse animum inducamus. Utrum in figlino quodam Romano, in quo Matranga (Bullet. 1850 p. 179, 23) haec legi testis est 'EX FIGLINIS || CALVCII AMINTAE || SVLPICIANI' *Alucius* nomen lateat necne non definio; *Allucceius* quidam Celtiber extat ap. Liv. XXVI 50. cf. quae Kempfius ad Val. Max. III 3, 1 adnotavit p. 332. Non facile expediendum est *Erenucius* nomen in fastis Capit. a. 374. quibuscum Diodorus XV 51. consentit; corruptum *Suffucius* ap. Cic. de divin. II 41, 85. ut ex Moseri adnotatione apparet.

Idem autem suffixum Marrucinorum nomen praebet (cf. *totai maroucai* in tit. Sabellico ap. Momms. de diall. p. 336); neque absimilis est *ug* syllaba in oppidorum nominibus hisce: *Malugo* (unde *Maluginenses* necessario derivari Ellendtius perspexit l. s. s. p. 7) *Verrugo Uffugum*. Apud poetas autem quantum equidem indagare potui *Albucius* (Lucil. ap. Cic. de fin. I 3, 8. Madv.) et *Minucius* tantum extant (vide Horat. Sat. I 18, 20. Sil. IX 565.) hoc producta illud correpta antepaenultima: quod memorabile est, quia *u* semper producitur in substantivis in *uca* adiectivisque in *ucus*, quae sola comparationi se praebent.

Priusquam ad nomina in *utius* me converto, ut promissis starem ea nomina adscripsi, in quibus *ucius* et *utius* iuxta inveni:

ABRVCIVS Mur. 316, 3.	ABRVTEIVS Grut. 251, II.
ABVCIVS Oliv. M. P. 62, 150 = Mur. 844, 6 = Or. 489 = 3532. Malv. M. F. 230. ABVCCIVS I. N. 635 (septies). 2916. 4108. 6796 (III) al.	ABVTIVS I. N. 1758.
MINVCIVS frequentissimum.	MINVTIVS I. N. 4008. *3973. Mur. 524, 16. Furl. lap. Pat. 275, 271 (1, 2) = Grut. 729, 2 = 1135, 5.

AIBVCIA Gori I 175, 165 mihi dubium est, cum ALBVCIA tam prope accedat; *Betucius* Orellius quidem semper scripsit in Cicerone, sed nullum eius scripturae exemplum epigraphicum in promptu est (Grut. 673, 1 contra Apianum et Fonteium Redii codex facit). *Aebucia* Kempfius semel dedit Val. Max. VII 8, 2. libros, credo, secutus: *Aebutius* epitoma de praenominibus exhibet ap. eund. p. 743, 14. Manifesto igitur *Minucius Abucius* scripturae praevalent: de *Abrucio* et *Abruteio* nil certi proferre licet.

Itaque continuo progrediendum est ad nomina in *utius* haec:

ACVTIVS I. N. 2383 quater 2747. 2919. 6520. al. AGVTIA Furl. lap. Pat. 255, 269 = Mur. 1015, 5. AQVTIVS Grut. 961, 5 (Narbone).

AEBVTIVS I. N. 322. 1779. 5032 5064. 6769 (VI VII) al.

*ALBVTIVS Grut. 844, 5 (Aug. Taurin.). 855, 15 (ibid.). 666, 10 (Antipoli). 395, 2 (Veronae). Mur. 1293, 9 (Aug. Taurin.). 1507, 7 (Bononiae). 1030, 8 (Salonae). cf. Virg. Catal. VII 3. ubi versus corruptus est.)

Balbutius Cic. pro Cluent. 60, 166 (Balbuttius Med., Babuttius Salisb. et Lagom.)

BETVTIVS I. N. 3568. 4363. 4364. 6042. 6655 al.

CANNVTIVS Mur. 1395, 8 (Opitergii). 1728, 6 (e Sabaudia). Gori I 458, 15 = Mur. 1780, 16 (aen. sigill.). Kell. Vig. I 2. 89. *Canutius* orator v. Meyeri fragm. or. p. 397 ed. II.

CARVTIVS Kell. Vig. 83, 1.

COSSVTIVS I. N. 418. 2517. 3399. 4118. 6769 (VIII). CONSVTIA Maff. M. V. 155, 9.

Cremutius Cordus Tac. Ann. IV 34.

DIRVTIA I. N. 5244.

DOLVTIVS I. N. 2150. Kell. Vig. 103, 23.

FVTVTIA I. N. 5579.

Pollutia Tac. Ann. XVI 10.

SANNVTIA Gori II 418, 38 = Mur. 74, 2.

TARRVTius Grut. 471, 8 = Or. 3171. Cic. de Div. II 47, 98 (Firmanus). cf. Moseri adnotationem.

VARRVTIVS Mur. 754, 5 = Or. 3966. cf. Bullet. 1839 p. 56.

Haec certa sunt, incerta omitto. Si autem ARRVTius I. N. 4583 pro *Arruntius* scriptum (v. Mommsenii indicem) non lapicidae tantum errori tribuendum est, comparaverim *Vicentia* et *Vicetia* scripturas (v. Forbigeri enchir. geogr. ant. III p. 583). Antiquissimis tamen solummodo temporibus *n* ante *t* elidi solitum esse Ritschelius monuit Mon. ep. tria p. 21: itaque antiquissimus usus fortasse, ut saepius observatum est, in hoc solitario exemplo perduravit. Etenim talia qualia sunt MONVMETVM Vermigl. II 317 = Or. 4510. MONIMETVM Fabr. 231, 530. PARETIBVS Annali X (1838) p. 101. FROTE Gori I 176, 168 vix quidquam probant. Ceterum ARVTTIVS I. N. 1898 non satis certum Mommsenio visum est, itemque CAESVTIA I. N. 1326 et MVLVTIA I. N. 3768, quod si genuinum est, non male quis Oscorum *mulukiis* (v. Momms. de diall. p. 281) comparaverit. De MELLVTIA Grut. 850, 5 (Romae ex Philandro ad Vitruvium) nolui iudicium meum interponere priusquam de fide inscr. constaret. Gallicae denique originis signum duobus tantum huius generis nominibus adpinxi, atque alteri quidem non satis confidenter; si certiora

in promptu fuissent argumenta, alia addidissem. Sed non alienam fuisse ab hisce regionibus *utius* terminationem INDVTIVS inscr. conf. Helv. 293 docet et *Medutius* pagus Veleias (cf. Lama II 22. III 97 al.), atque si fides est scripturae ALSVTIVS Grut. 351, 7 (Mediolani ex Apiano — Reines. corr. ALBVTIVS). In carminibus *Albutium* tantum inveni (Horat. Sat. II 1, 48. 2, 67) et *Praetutiam pubem* (Sil. XV 568), si quidem illam huc trahere licet, qua de re non breviter iudicandum est. Producitur autem in eis *u* littera aeque atque in substantivis *ut* suffixo derivatis (*virtus iuventus*) et in adiectivis qualia sunt *hirsutus cornutus versutus;* corripitur solummodo in *arbutus arbutum,* quod Duentzerus attulit (l. s. s. p. 67); *arvita* fortasse Lucretius scripsit V 541. v. Lachm. p. 320.

Sequuntur secundum ordinem supra propositum *ecius* et *etius* terminationes. Et prioris quidem haec sunt exempla:

FVFFECIVS Doni IX 3. cogn. I. N. 3864.

GALLECIVS I. N. 2383 g.

SENECIVS I. N. 2105.

TITECIVS I. N. 5373. 5570. 5573.

TREBECIA Gr. 985, 5 = Maz. f. 147 v. cf. L·TREBECH Fabr. 652, 446, in quo Trebecius latere videtur, non Trebechius, ut Fabrettus voluit.

VARECIVS I. N. 5590.

VENAECIA I. N. 5140. VENECIA Grut. 305, 1 = 442, 10 = Doni V 171 = Mur. 747, 4.

Non prorsus certum existimo CINECEIA nomen Grut. 1011, 3 (Neapoli in vase pulcherrimo in palatio Caraffa vid. Sculteus), quod in I. N. non inveni. SYNAECIVS Furl. lap. Pat. 409, 543 = Grut. 957, 10 'puramente grecanico' videtur Furlanetto, neque tamen quid sit facile dixeris; *συνήχω* enim et *σύνοιχος* longius differunt. *Gallecius* potest cum *Gallaecia* Hispaniae provincia conferri, quae sic scribitur Grut. 361, 1. 375, 1 = Or. 3574. *Titecius Varecius* Marsorum sunt, *Venecia* Samnii Umbrorumque. Quod praeterea de hac termi-

natione adnotem vix habeo: neque enim satis apte adiectiva in *ex icis* comparaveris, alia autem non in promptu sunt. Num *Cetegus* vel *Cethegus* obscurissimum cognomen huc trahere liceat, ab aliis edoceri velim.

Eo celerius igitur ad nomina in *etius* transeo, quorum haec repperi:

ALETIVS I. N. 1173. 5066. Furl. lap. Pat. 348, 417. 430, 591. 449, 682. Tac. Ann. II 47. ALLETIVS Kell. Vig. 2. 5. 86.

ASVETIVS Grut. 268, 1 (IV 8).

CAERETius Grut. 255, 3.

CAESETIVS I. N. 2383 l. Grut. 659, 2. 724, 11. 904, 7.

CAIETIVS Fabr. 202, 501.

CALETius Kell. Vig. II 5, 44.

CONDETIOS Or. 1433. (lamina aenea antiquissima).

CORETIVS Grut. 775, 4. Kell. Vig. 48 (I 23). CORRETIVS Mur. 563, 2. 564, 1. 565, 1.

DOCETIVS I. N. 5962. Grut. 947, 1.

DOMETIA Maff. M. V. 143, 4 = Or. 2692 (= Grut. 730, 10 = 742, 5 male POMETIA et DOMITIA).

*IVNETIA Maff. M. V. 222, 6 = Mur. 1543, 8 (Aug. Taurin.)

*LARETIA Doni V 37 (Lugduni).

LVCAETIVS Doni VI 186.

LVCRETIVS.

MEGETIA I. N. 3498.

*MASPETIVS Maff. Ant. Gall. p. 22 = Mur. 1055, 2 = Or. 4243.

*MOGETIVS Fabr. 632, 275 (Novariae). Grut. 1070, 7 (Laude Pompeia: MOGHETIVS). Mur. 875, 2 (Vindobonae).

MONETIVS Fabr. 632, 276.

MVSETIVS Maff. M. V. 364, 4 (Fabriani). Donat. 350, 1 = Or. 88 (ibid.).

SOLETIVS Furl. lap. Pat. 110, 102 = Grut. 128, 1 = Mur. 172, 1.

STATETIO Maff. M. V. 471, 1 (inscr. Pisaurensis antiquissima).

SVETIVS I. N. 3562. 3569. 3832. 4817. 6040. SVETTIVS I. N. 3376. 3587. 6076. 6572.

SVAVETIA Doni IX 12.

TAIETIVS Fabr. 649, 425.

TAPPETIVS I. N. 6818 (Romae). TAPETIVS Grut. 40,8 (Lazii et Clusii auctoritate stat).

TVETIVS Donat. 375, 5 (Grassani in Pedemontio).

*VEGETIVS Grut. 817, 11 (Nemausi). Mur. 1762, 4 (Aug. Taur. si fides est Guichenonio). De Vegetiorum scriptorum patria nil traditum est.

*VENETIVS I. N. 5427. 5428 (Mur. 1496, 4?). Bullet. 1848 p. 95 (Mediolani). VENETEIA Gori III 13, 19.

*VIDETIVS Grut. 448, 4 = Mur. 759, 3 (Nemausi).

VIGNETIVS I. N. 2623.

Incerta vel barbara satis multa omisi: Gallica solito signo discrevi. Utramque terminationem VENECIA tantum et VENETIVS praebent; quo in discrimine numquid tribuendum sit VENAECIA scripturae et *Venētis* nescio. *Corretius* Umbrorum *Kuretio* apertissime respondet (v. Aufr. et Kirchh. II p. 232), neque *Musetium* aliunde esse *Museia* urbs et *Museiati* adi. inde derivatum demonstrant (v. eosdem l. s. s. p. 338). Sed in oppidorum nominibus per totam fere Italiam vulgatum est hoc suffixum, ut docent exempla haec non studiose quaesita sed undique congesta: *Aletium Azetium Bercetum Bubetum Buxeta Caieta Eretum Foretum Neretum Pometia Soletium Spoletium Valetium.* Producitur autem *e* littera, si *Pometiam* exceperis et ea de quibus nihil constat, in omnibus, corripitur in *Clampetia* Bruttiorum oppido, quod Graecis *Λαμπετία* est. *Archĕtium* Turni socium *Lucĕtiumque* Troianum personas Vergilianas (Aen. XII 459. IX 567) nil moror; singularem enim locum sibi postulant haec nomina et similia velut *Calpĕtus* rex (Ov. Fast. II 46). *Fuffetius* certe corripitur, si fides est Graecorum scripturae; de prosodia enim nihil discitur ex versus Enniani fragmento a Vahlenio meo ann. 129 sic constituto: 'Mettoi Fubettoi.' *Lucretia* produ-

citur Ov. Fast. II 795. Similiter variatur inter *facetus moneta quercetum* verba cum similibus et substantiva in *es ĕtis* (*paries abies* al.). *Dumecta* quidem antiquior pro *dumeta* forma a Paullo Festi p. 67 servata si comparatur, ut a Duentzero factum est l. s. s. p. 65, cum *humectus rudectus* adiectivis, suadet, ut alibi quoque *ētum* syllabam contractam esse credamus ex *icetum* (*dumiceta* Paull.), non dissimili ratione atque quam in *suspitio* vocabulo Fleckeisenus demonstravit (v. nov. mus. Rhen. VIII p. 225): sed in talibus singula exempla scrutanda sunt, priusquam in universum quid praecipitur. De Etruscorum *Nepĕte* dubitari potest num huc quadret, non potest de *Aicetia* dea nuper resuscitata deque Oscorum *Lucetio* (v. Momms. de diall. p. 274), cuius antepaenultima in carminum Saliarium fragmento produci videtur (vide Bergkium de carm. Sal. reliquiis p. XII).

Qualecumque est quod nominum hac enumeratione profecimus, illud certe apparet, scripturae discrimen quod *c* et *t* litterae efficiunt non casui tribuendum esse, sed usui certis finibus circumscripto. Neque tamen continuo inde consequitur origine terminationes istas non cognatas fuisse. Quod etiamsi non in omnia haec nomina cadat, at posse vero in nonnulla cadere quis neget in pronuntiandi illa quam supra tetigi aequalitate? Sed hoc priusquam, non dicam certo, sed certius tamen quam nunc solet definietur, restat ingens nominum in *icius* et *itius* exeuntium multitudo pertractanda, quam hae pagellae non capiunt. Verum ne tunc quidem exhausta est unius generis materia: crebra enim exempla, in quibus haec primi generis suffixa cum aliis aliorum generum composita videmus, relicua sunt.

VITA SCRIPTORIS.

Natus sum Duesseldorpii anno h. s. XXXIV patre Iulio in regia artium academia quae Dresdae est picturae professore, matre Paulina e gente Bendemannia. Usque ad nonum vitae annum intra domesticos parietes litterarum elementis imbutus a. cIↃIↃcccxLIV gymnasio Vitzthumio-Blochmanniano Dresdensi traditus sum. Ibi per septem annos cum aliorum praeceptorum optimorum tum inprimis Caroli Iusti Blochmanni scholae illius conditoris, Georgii Bezzenbergeri, Arnoldi Schaeferi egregia disciplina usus sum. Vere anni cIↃIↃcccLI maturitatis quod dicunt testimonio munitus Berolinum me contuli, litteris historicis potissimum et politicis ut tunc opinabar operam daturus, certae qua studia mea instituerem rationis expers. Cum autem sic ad idoneum finem non perveniri intellegerem, severiorem disciplinam philologicam amplexus sum. Non sine bona fruge igitur prodocentes audivi viros clarissimos Boeckhium Curtium Lepsium Rankium. Sed tamen Rhenanae universitatis in his litteris splendor ita animum allexit, ut sex mensibus praeterlapsis continuo eam adirem. Nec spes me fefellit. Scholis enim per triennium interfui philologicis inlustrissimorum virorum Bernaysii Ritschelii Schmidtii Schopeni Welckeri, philosophicis Brandisii van Calkeri, historicis Loebellii. Singularis vero Welckeri Ritscheliique summorum virorum benivolentia seminario philologico me adscripsit, cuius saluberrima institutione per duos annos frui licebat, per haec tria semestria sodali ordinario. Praeter Ritschelii autem Welckerique beneficia non possum non commemorare etiam Brandisii viri reverendi Bernaysii Schmidtii propensam in me voluntatem, qui aut exercitationibus privatim institutis aut sermone familiari studia mea adiuvabant. His omnibus nescio quemadmodum debitas gratias unquam referam.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. *In universae antiquitatis studio a singulis incipiendum.*

II. *Octavum Thucydidis librum Xenophon edidit.*

III. *In Dionysii Halicarnassensis verbis II 7. quae sunt διῄρηντο δὲ καὶ εἰς δεκάδας αἱ φράτραι, decades iniuria de gentibus accipiuntur.*

IV. *Aristophanis nubibus, quales nunc legimus, duplicis quam dicunt recensionis praeter parabasim vestigia nulla insunt.*

V. *Livii verba III 39. quae vulgantur 'nec nomen homines tum pertaesum esse' sic emendo: nec nominis tum p. e.*

VI. *Linguae Latinae cognitio, ut nunc res sunt, magis ipsius accurata perscrutatione quam cognatarum linguarum comparatione adiuvatur.*

VII. *Pythagorcis in historia philosophiae Graecae non iustum locum tribuit Zellerus.*

VIII. *Quae apud Livium VII 22. in codice Mediceo sic leguntur: 'reciperantur ius consularibus comitiis amissum' insiticia sunt.*

IX. *Falsa est Niebuhrii hist. Rom. I p. 78. ed. tert. de adiectivis Bruttas Campas Samnis et similibus opinio.*

X. *Euripidis Andromacha abhorret a praecepto Aristotelio, quod extat in poeticae cap. 8. (p. 158, 22. ed. Bekk. min.).*

XI. *Livii verba VIII 24. haec fuerunt: Heracleam Tarentinorum coloniam Metapontumque ex Lucanis, Bruttiorum Consentiam ac Terinam e. q. s.*

XII. *Apud Horatium carm. II 13, 16. timet et III 5, 17. periret sua natura, non arsi aut licentia poëtae producuntur.*